EILHARDI LUBINI
IN
Q. Horatij Flacci EPISTOLARUM LIBRUM PRI-MUM

PARAPHRASIS SCHO-LIASTICA.

ROSTOCHII
Ex officina REUSNERIANA.
cIↃ IↃ Ic.

PRÆCLARO ET EX-
cellenti Juveni,

DN. HENRICO BUSMANNO,

DN. DANIELIS BUSMANNI antiquissimæ Reipub. Stadensis Consulis benè meriti filio,

amico meo carissimo certissimo

EILHARDUS LUBINUS

S.

QVod præsenti tibi jam dudum destinâram, jam demum absenti præsto, Henrice juvenum candidissime. Consilij verò mei hujus rationem nemo me magnopere flagitabit, qui & me, & te probè perspectos habet. Me quidem, qui eximij hujus auctoris operibus egregijs me in eximiorum egregiorumq; juvenum intimam amicitiam & familiaritatem penitiùs insinuare in votis habeo. Te verò, quem ob singularis ingenij indolem, præclaram doctrinam, potissimum verò ingenuum animi candorem, & nativam probitatem non nisi rebus magnis, & optimis studijs natam, huic amicorum

meorum ordini cum primis accommodatum, adnumerandum existimavi. Accipe ergo hoc animi mei optimè erga te adfecti, tibique imprimis benivoli qualecunq; specimen, inque hoc amoris ac benivolentiæ nuper initæ adfectu vicem mihi redde, & mecum conspira, Et quod facis, hoc ad virtutem & eruditionem præclarum iter, quod feliciter ingressus es, feliciter porro grassare: Ad utramque feliciter assequendam mirum, quantum adminiculi non sine Dei munere consecutus sis. Ad hanc præceptorem ingenij & eruditionis ultra ætatis annos eximiæ & inusitatæ, Dominicum Arumæum Frisium, amicum meum certissimum; Ad illam optimi viri, omnisque virtutis & honestatis vivum exemplar parentem tuum: Illum sequere, hunc imitare, & cum utroque diu feliciterque noster amicus vive & Vale. Rostochij. Anno 1599.

EILHARDI LUBINI

IN Q. HORATII FLACCI SATURARUM LIBRUM I. PARAPHRASES SCHOLIASTICÆ.

EPISTOLA I.

AD MÆCENATEM.

QVamquam ego, C. Cilni Mæcenas amice atq; patrone incomparabilis, qui ex præclaris tuis in me beneficijs merito initium & finis, principium & meta eris meorum carminum, & qui ut primâ Camænâ primisq; carminibus Odarum & Satyrarum mearum dictus es, ita etjam hac summâ Musâ, hoc extremo meo carmine & opere dicendus es & celebrandus; Quanquam ego, inquam, à ludicris, juvenilibus, & amatorijs carminibus, quæ juvenis scripsi, jam vel ætate, vel studio alienus & ineptus sum. Tu tamen me Horatium in amatoriâ militiâ & ludo olim satis nobilem athelam, satisq; in theatro urbis Romanæ spectatum & probatum, Et jam tanquam seniorem & emeritum gladiatorem aut militem rude virgâ palmeâ donatum, & dimissum antiquo ludo quæris iterum includere, me inquam, ex scriptis & ingenij mei monumentis satis tibi alijsq; notum ad antiquum lyræ studium, ad versus & carmina amatoria desita revocare, à quibus senior jam, & ineptior tanquam emeritus miles meritò dimittor. Etenim jam ætate senior sum, & grandior: Et non amplius eadem mihi ætas est, quæ olim, cum amatoria ad lyram canerem, non eadem mens eadem sententia, idem studium, quod olim, cum illa imprimis mihi arriderent; nec amplius mihi placent seni, quæ olim juveni. Quo nomine imposterum gladiatorum exemplum qui in tempore theatro valedicunt, ne quam gloriam juvenes robusti & victores consecuti sint, senes imbecilles ab adver-

sarijs victi amittant; sequi, & imitandum mihi proponere certum est. Nam *quemadmodum nobilis ille gladiator* Vejanius, *qui olim toties adversarijs in theatro victis & occisis summam laudem & gloriam reportavit; jam senior, & viribus per ætatem enervatus prudenter à theatro se sejungit, suumq; scutum, gladium, parmam & reliqua* arma, *quibus juvenis decus & gloriam invenit, senior* ad postem *templi Herculis* affigens *& ex gladiatorum more Marti aut Herculi illa consecrans non amplius ad publicos ludos sui spectacula exhibiturus prodit, sed ociosam & tranquillam in* agro *vitam agens* latet *& securè delitescit;* ne *si senior arma capiat ab adversario robusto forte juvene victus & occidendus* in extremam arenam *theatri fugiens* populum exorare *cogatur, ut pollicem premens pro se intercedat, ne occidatur; atq; quam gloriam primis certaminibus juvenis victor sibi peperit, illam ultimo & extremo senior obfuscet, aut omnino deperdat:* Sic etjam Horatio mihi *seniori jam & parum in juvenilibus illis robusto, familiaris quidam & fidelis* est *admonitor: actionum dico mearum præfectum animum,* qui aurem *meam à pravis opinionibus* purgatam *& ad percipiendam virtutem & Sapientiam docilem attentam & apertam* quotidiè personat, *& talibus vocibus sapienter & benevolè me compellat. Quemadmodum illi qui in Olympicis certaminibus contendunt, equorum qui junior* toties *victoriam cursu adeptus est, jam* senescentem *& cursu tardum in tempore solvunt,* ne ad extremum *in ultimo certamine vincatur, nec juvenilis ætatis gloria in senectute ipsi in ludibrium convertatur, & qui antea in honore summo habitus, deniq; ob imbecillitatem* & *tarditatem à spectatoribus* ridendus ilia ducat, *frequenter anhelet, & facile defatigatus summâ spiritus difficultate laboret, succumbat & explodatur. Sic & tu, ò* Horati, *si sapis, & satis* sanus es, *te tanquam senio confectum* equum solve, *& à certamine remove, ne juvenilis ætatis gloriam in Lyricorum amatoriumq; certaminum studio & stadio partam, senex importunus & ineptus obscures atq; contamines, tuæq; stultitiæ veniam postea ab alijs efflagitare cogaris.* Nunc itaq; *tantus senex cum sim,* & *juvenilibus parum aptus,* versus *Lyricos,* ceteraq; ludicra, *amatoria, & jocosa relinquo, &* depono, *& missis adolescentiæ nugis res serias, & ætati meæ senili convenientes tractare aggredior, meq; ad Studia Philosophiæ virtutis & Sapientiæ confero, inq; Philosophiâ naturali vel contemplativâ* quid *in natura rerum* Verum *aut falsum sit,* atq; *in Philosophia Practica Morali, quid Summum Bonum & malum, quodnam opus viro honesto* decens *sit, &*

conve-

conveniens, ipsumq́; contra dedeceat, hæc, inquam, hâc ætate curo & rogo, *meditor, & quæro,* & in hoc, *in inquisitione scilicet veri, & boni quantus sum* omnis *totusq́;* sum *& occupor, & ex Philosophiæ studijs in vitæ humanæ usum illa mihi* recondo *& colligo, illa mihi conquiro* & compono, quæ mox, *si opus sit ad usum in vitâ communi* posśim *revocare, &* depromere, *& ad vitam constituendam, moresq́; informandos commodè utiliterq́; adhibere.* Ac ne forte *opus habeas, ô Mæcenas,* ut me *interroges, quam potißimam Philosophorum sectam sequar,* quo duce *atq́;* Principe *Philosophandi & Veri Boniq́; inquirendi utar,* quo Lare, *atq́; familia Philosophantium in tantâ opinionum de Summo Bono varietate me* tu-ter, *securumq́; præstem, atq́; beatum deputem, Stoicorum, Academicorum, Peripateticorum an* Epicureorum *sententijs aut opinionibus me addixerim aut mancipaverim: meam sententiam dilucidè tibi aperiam, nimirum nulli certæ sectæ me addictum esse, sed tanquam hominem liberum, quid in quâq́; optimum mihi videatur sequi & approbare. Ego enim qui nulli sectæ tanquam civitati meum nomen professus sum, omnium sectarum* hospes *sum, & non tanquam transfuga, sed explorator* quocunq; me *tanquam nautam in hoc vasto Philosophiæ pelago ventus* & tempestas rapit, *eò* feror *& impellor, & quocunq́; venio, quod me juvet invenio, & inde quæ optima & veriora judico decerpo & colligo, adeo liberè inter Philosophos vagatus, ut non* addictus, *non adstrictus, neq́; obligatus sim* in ullius magistri verba jurare, *nec ab alius Philosophi opinionibus, præsertim si falsæ mihi videantur, recedere religio mihi sit. Quare interdum ad Peripateticorum castra transeo, & ex illorum placitis meas vitæ actiones secundum virtutem instituere conor:* Nunc *Stoicorum sententiam probo & aliquam Reip. partem capesso,* fio agilis *negotiosus, ad agendam promptus* & civilibus *negotiorum turbis tanquam varijs* undis mersor, *implicor, atq́; commisceor, & juxta Stoicorum sententiam* veræ *Sapientiæ &* virtutis *severus* custos, & rigidus satelles *sum, à quâ, cum omnia peccata æqualia sint, ne latum quidem unguem viro bono discedendum judico, omnibusq́; ipsi adfectibus carendum doceo.* Nunc *ubi libitum fuerit, rursus ad Epicurum & voluptates,* in *quibus juvenis Summum Bonum posui, clam deficio, & ad Cyrenaicorum &* Aristippi *placita atq́;* præcepta furtim relabor, *& ut Aristippus Laidem habebat, non ab illâ habebatur, nec opum suarum custos, sed dominus erat,* & *aurum atq́; argentum non tanti habuit, ut non servos suos aurum jusserit abjicere, cujus onere illos gravatos tardius*

videbat incedere: *Sic etjam ego* res *meas ad usum, illasq́ mihi meq́ com-moditati,* subjungere conor, *& subjicere* non *autem* me illis. *Atq́ hoc quod dixi Philosophandi genus, ut est mihi longè jucundißimum, sic hisce turbulentis, propter civilia bella, temporibus nihil mihi gravius & molestius accidere potest, quæ hanc vitam ex varijs Philosophiæ studijs longè amœnissimam mihi auferunt, impediunt, & remorantur.* *Nimirum quæ ut ingratißima sunt, sic etjam longißima & tardißima mihi apparent.* *Adeoq́* ut *illis juvenibus* nox *ex pervigili amoris desiderio* longa *esse videtur, & tardißima apparet,* quibus amica *noctem pollicita,* mentitur, *& quos fallit non veniens, (quod & ego Trivici expertus sum, cum tecum Româ Brundusium proficiscerer;) velut etjam* dies *mercenarijs, qui pro constitutâ mercede laborant* & opus *aliquod* debent, *ob diurnos sudores & ærumnas* longa *itidem* apparet *& nox votis expetitur, ut quiescant;* ut *quoq́* pupillis *& pueris* annis *pubertatis proximis,* quos matrum dura custodia, *& anxia cura, ne quoquo modo corrumpantur, studiosè & sollicitè observat,* premit *atq́ inhibet, annus piger & tardus admodum apparet; eo quod nihil magis desiderent, quàm pubertatis annos attingere, suoq́ jure postea vivere, & Genio indulgere:* Sic *etjam* Horatio mihi *hæc* tempora, *quantumvis forte brevia,* tarda *pariter* & ingrata fluunt, *longißimaq́ videntur, quæ impediunt quo minus amicâ illâ ex Sapientiæ studijs felicitate perfruar, quo minus post tot labores & ærumnas, in tranquillitatis ac quietis portum pertingam, quo minus tot negotijs tumultibusq́ civilium turbarum valedicens mei juris liber & solutus evadam.* *Atq́ adeo* quæ *tempora mihi* spem *in Philosophiæ studijs, & animi tranquillitate vivendi, mihi* consilium *de meliori vitæ conditione capessendâ impediunt,* & remorantur, *atq́ adeo institutum & propositum de Summo hominis in vita mortalium Bono inquirendi, atq́* illud *in vitâ Decorum & Conveniens officium* gnaviter agendi *& exercendi, ad quod omnes nati sumus, & quod omnes & singuli agere & exercere debemus, &* quod *in vita mortalium excultum & exercitatũ* æquè pauberibus *&* æquè locupletibus, prodest, *contra autem* neglectum *& contemtum* æquè pueris & senibus nocebit, *& oberit.* *Quoniam autem iniquitate temporum impeditus altiores in Philosophiâ progressus facere non potuerim:* restat *tamen & relinquitur mihi saltem* ut his, *quæ mihi comparavi qualibuscunq́ Philosophiæ moralis initijs* & Elementis *vitam meam juxta virtutem & honestatem* regam *&* me ipse *his quantumvis parvis* consoler, *& oblectem.* *Nihil enim est,*

quod

quod quispiam mihi objiciat, vanum esse si quis qualiacunque tantum Philosophiæ Elementa consecutus sit, si ad suprema ejus nemo possit ascendere. Nam hoc qualecunque quidquid est, suum etjam præclarum habet in vita mortalium usum. Quemadmodum enim si oculorum vitio labores & lippus sis, si sapiens es, te curari pateris, teque à medico collirijs oculorum unguentis inungi non negligis & contemnis, & qualicunque visus beneficio potius frui desideras, quam cæcus in densis tenebris æternùm versari, ut vel maximè nunquam tam acutum videre possis, quàm aquila quædam aut serpens, aut tantum oculorum admirando acumine contendere, quantum Lynceus ille, qui per parietem videre, & novissimam primamque Lunam eodem die intueri, & solventē Carthagine classem è Libycana specula per tot miliaria, numerumque navium notare potuit: Velut etjam si arthritide aut alio corporis infirmitate labores, nisi insanus sis, non nôlis à corpore tuo per salutaria medicamenta tartaream illam & nodosam articulos digitorum manuum aut pedum infestantem chiragram, aut podagram arcere, & prohibere, quia forte desperes quod robusti illius & invicti athletæ Glyconis membra, & brachiorum robur nunquam possis consequi: Sic etjam vir bonus qualiacunque principia virtutis & sapientiæ, qualiacunque inchoata morborum animi remedia non negliget & contemnet, quamvis ad summum in Sapientia gradum non possit attingere; quamvis integrum & absolutum virtutis habitum non possit acquirere, quamvis ad Pythagoræ, Socratis, Platonis, aliorumque sanctissimorum Philosophorum vel virtutem vel Sapientiam non possit adsurgere. Profecto si cacumen Philosophiæ non detur adscendere, laus erit saltem aliquousque procedere, & radici non æternùm adhæsisse. Nam si ob arduum Philosophiæ, & virtutis iter ultra ire, & longius aliquanto procedere non datur, est saltem quadamtenus prodire, licet saltem aliquousque procedere. Licet, inquam, qualiacunque Philosophiæ principia sibi comparare, qualemcunque Virtutis dispositionem, qualemcunque Sapientiæ cognitionem assequi, si perfecta haberi non possit. Nam Philosophiæ studia & principia quamvis rudia tantum & inchoata, multum in vita mortalium possunt. Nempe quæ quàm plurimis & saluberrimis doctrinis & præceptis instructa, omnibus humani animi morbis si non omnino corrigendis aut tollendis, saltem lenendis summopere prodest. Nam si animus pectusque immenso opum desiderio, & avaritiâ aut divitiarum inexplebili pariter miserâq; cupidine inflammatur & fervet; tum sunt certa Sapientiæ præcepta, certa Philosophorum instituta, certa verba, dicta, &

voces *sapientum*, quibus *tanquam animi medicamentis* hunc dolorem *morbumq; mentis si non omnino tollere, saltem* lenire, & magnum morbi *ejus* partem posſis deponere. *Si autem* laudis amore *tanquam inani vento* tumes *& inflatus es, & te ambitio inquietum malum exagitat, tum* sunt certa pracula, *certa remedia & tanquam medicamenta purgantia illius medicinæ animi, & vitiorum expultricis Philosophiæ,* quæ te libello *aliquo sapientis de contemtu honoris & inanis gloriæ bis aut* ter *iterum atq; iterum* pure *diligenterq;* lecto recreare, *& ad saniorem mentem* possunt *reducere. Atq; adeo quidquid vitiorum in humanis animis resideat, sive quis* invidus *sit, sive* iracundus, *sive* iners *atq; ignavus, sive* vinosus *& helluo, sive* amator *sit & libidinosus, nemo adeo obbrutuit,* nemo adeo ferus *vitiosus & immanis* est, *qui per sapientiæ studia non ad humanitatem expoliri, non mansuefieri, &* mitescere, non *deniq; feritatem* posſit *exuere,* si modo *tanquam incultus ager se patiatur excoli, lappas & tribulos, filicesq; è se radicitus exstirpari, bonas fruges inseri patiatur, ipsiq; adeo* culturæ patientem aurem præbeat, *& monitis præceptisq; Philosophiæ æquo animo obtemperet, & ad virtutem & honestatem emendari non recuset, neq; suâ malitiâ atq; miseriâ delectetur. Sunt autem hæc de quibus superius dixi rudia & inchoata Philosophiæ moralis principia, quibus me rego, meq; oblector & consolor, quod initium salutis sit notitia peccati: & vis bonus esse, prius crede quod malus sis: Et proinde cavere vitia, & stultitiam vitare. Nam* virtus est vitium fugere, & prima *ac princeps* sapientia *est* stultitiâ carere. *Hæc te principia scire, & facere convenit, quisquis ad Virtutis & Sapientiæ majestatem contendis: quæ quidem omnibus in mundo rebus suo jure ac merito immenso intervallo est anteponenda. At vero quanta, quam incredibilis, quam inaudita hominum stultitia! Corporis quæ censes* esse *maxima & summa adeo* mala *paupertatem & ignominiam,* exiguum censum, & turpem repulsam *in honorum petitione, & deniq; exiguas opes, & vitæ obscuritatem,* quanto animi & capitis *periculo &* labore evites, *& à te propulsare studeas? nihilq; adeo in vita humana horribile, quod sustinere recuses modo illa effugias, quæ tamen per se mala non sunt. Atq; adeo* impiger, *sedulus, & industrius* mercator *existens* per *horrendum* mare *cum fragili navi tribus digitis remotus à morte* per *tot* saxa, *tot scopulos,* per *Zonam in terra torridam & duos circulos ardentes tanquam* ignes ad extremos *toto orbe à nobis remotos* Indos *Orientales* curris: *Cujus rei causâ?*

causâ? Scilicet paupertatem tanquam omnium malorum summum & extremum fugiens. At vero ut animi mala non opinione, sed verè Summa mala Stultitiam dico, & Malitiam effugias, nihil laboris nihil periculi in te vis recipere, nec Sapientiæ & virtutis præcepta discere, & audire, & meliori sapientiorique credere non vis, ne corporis vel externa bona Divitias & honores, quæ tanquam Summa bona stultè miraris, & stulte exoptas tantopere cures & expetas. De procis Penelopes referunt Poëtæ, quod plerique illorum cum ipsâ dominâ potiri non possent, ad illius duas ancillas Polydoram & Melanthonam sese contulerint. Idem mihi profecto illi facere videntur, qui cum ex stultitia vel ignavia ad Sapientiæ studia & virtutem aspirare non possunt, ad opes congerendas & honores persequendos sese convertunt. quæ nisi virtuti & Sapientiæ ancillentur ne in bonorum quidem numero habenda sunt. At verò Quisnam athleta erit, qui in vilibus locis circum pagos, compita, & municipia urbis Romæ, strenuus, pugnax & victor esse velit: nolit autem in locis toto mundo nobilissimis in magnis Olympicis certaminibus coronari, & universo orbi innotescere contemnat? Utique si illi talis spes, talis conditio sit, quod dulcem palmam, eximiam victoriam sine magno labore, sine pulvere per sudorem collecto possit consequi: Jam verò videmus plerosque in vilissimis illis opibus atque honoribus cum periculo corporis, vitæ, famæ occupari. Cum tamen longe nobiliora, longe meliora in ocio Philosophico sine ullo periculo & labore consequi possent, Virtutem dico & Sapientiam. Nimirum stolidissimus est, qui nobiliora contemnit, viliora appetit. Atqui verò jam argentum auro vilius est, aurum gemmis, gemmæ ipsa Sapientia & virtutibus. Quis ergo furor hominum, qui virtutis dignitatem & majestatem tam furiosè negligunt & contemnunt? At verò tantum abest ut cives Romani viliora melioribus postponere velint, ut contra hæc illis præponere atque magno intervallo anteferre non erubescant. Nam velut ego superius Philosophiæ principia recitavi vitia fugere & stultitiam odisse: Ita illi avaritiæ omnium malorum radicis alia principia alia fundamina habent. Nam in foro Romano Ianus summus in principio fori, & Janus in medio fori, inde usque ab imo Jano, qui est in fine fori, universus, inquam, populus in toto Romano foro hæc, quæ dicam, principia perdocet, & viri & mulieres, juvenes & senes fœneratores, qui sub lævo lacerto loculos ad nummos in fœnus dandos, & tabulam in quâ debitorum nomina consignent suspensam habent, hæc dictata, hæc præcepta recinunt, &

assiduè

assiduè in ore habent. O cives cives, primum omnium & ante omnia regina illa domina mundi pecunia quærenda est; Et virtus quæ sine re & pecunia vel algâ re vilißimâ vilior est, demum post nummos quæratur, deq; illa ultimo loco post pecuniam & honores acquisitos, quæstio instituatur. Verum enimvero avarus hic mihi objicit & inquit, quod quantum quisq; habeat, tantum etjam sit, quodq; census honores & dignitates afferant, eoq; nomine nihil satis sit. Si enim juxta L. Roscij Othonis legem, quadringenta Sestertia in censu non habeas, & illis quadringentis millibus nummorum, si sex aut septem Sestertia, sex aut septem nummorum millia tantum desint, ibi quamvis tibi animus optimus est, & integerrimus, quamvis tibi etjam sunt mores sancti, & honesti, quamvis lingua facundißima proba & honesta cum animo consentiens, & fides deniq;, atq; adeo Sapientia, Integritas vitæ ac Eloquentia cum singulari virtute conjuncta: nihilominus Plebs eris, unus eris è populo, non potes emergere, aut ad dignitatem equestris ordinis pervenire, cum res domi tenuis & angusta tibi obest. Scio hoc, ô quisquis es, qui hoc mihi objectas, ô avare, si quis divitias non habeat, illum in numero plebis, & ignobilis vulgi esse habendum. Nam quod pravis Roscij Othonis legibus institutum, & alias consuetudine introductum est, ut si divitijs instructus non sis ad honores & dignitates non pervenias: illud adeo stultum & vanum est, ut vel puerorum judicio sit explodendum. Nam quod tu avarus dicis: si dives non sis plebs eris, quanto rectius ipsi pueri ludentes & cantillantes inter se ajunt. Rex eris si rectè facias, ut vel maxime pecuniâ instructus non sis. Nimirum unicuiq; maximum in se ipso imperium & regnum, quiq; se ipsum regit & gubernat ille quamvis è plebe victor victorum cluet. Nam nihil mali & sceleris sibi conscire, Rectè factorum optimorumq; consiliorum sibi consciũ esse, nulla culpa, nullo delicto ex pœnæ metu impallescere, hoc vero firmum & est beatitudinis domicilium, hoc solidum vitæ humanæ præsidium, hoc ahencus murus & adamentinũ propugnaculum & tutior firmiorq; arx viro bono esto, quàm summorũ regum Acropoles. Nimirum hâc qui munitus est bona conscientia, & rectè vivit, nunquam tristis est, jucundißimam agit vitam, etjam inter media mala & maximum in adversitatibus vitæ humanæ solatium habet quamvis eques vel senator non sit. Age dic mihi ô avare, meliorne tibi videtur lex illa Roscia quæ solis divitibus sæpe hominibus sceleratis honorum præmia decernit, an vero puerorum Nænia, quæ rectè facientibus tantum regnum offert, & priscis temporibus valuit, & quondam à maribus

illis

illis fortibus ac robustis Curijs, Camillis *alijsq;* decantata *&* *usurpata fuit, melior tibi videtur? Age enim videamus utrum plus emolumenti adferat vitæ mortalium, studium pecuniæ & divitiarum, an studium virtutis & sapientiæ: lex illa Roscia & cantilena* Populi Romani *in foro de virtute post nummos quærenda, an verò puerilis illa cantilena, quæ non nisi optimum vult esse honoratissimum:* age is ne tibi suadet meliùs, teq; *rectius hortatur, ut opes acquiras, &* rem *facias,* si rectè possis: si non *autem rectè possis* ut rem facias, quocunq; modo *possis, quo jure, quâq; injuriâ, per fas & nefas,* ut *nimirum te è plebe eximas, inq; equestrem aut senatorium ordinem recipiaris & in theatro prima subsellia occupare, ibiq;* propius spectare posis *ludos gladiatorios, tragedias, aut* poëmata *illa* Puppij lacrymosa *& flebilia, qui eximius* Tragicus *spectatoribus, quoties vult, lacrymas excutit;* an *verò* Philosophus *aliquis melius te docet,* qui *te* liberum *facit* & rectum *adversus omnia, quæ in vita humana possunt accidere, teq; ut ipsi* fortunæ *quæ in vitâ mortalium hominibus* superbè *illudit,* te responsare, *resistere, & repugnare, & nunquam succumbere* hortatur, *&* præsens, *suumq; possessorem nunquam deserens, atq; adeo navi fracta cum possessore enatans ad omnes vitæ humanæ vicissitudines forti animo perferendas te aptum reddit, conformat, & confirmat? Sanè longè ego opinione absum è varis illis vulgi opinionibus, quas quicunq; sequitur longè mea quidem opinione à veritate & virtute recedit, per quas non neminem in maximas vitæ humanæ calamitates incidisse non sum nescius. Adeoq;* si me *Horatium* populus Romanus fortè *interroget* cur non ut *ijsdem mœnibus &* porticibus *in quibus vivimus convenimus & deambulamus,* sic *etjam* ijsdem judicijs, *sententijs, & opinionibus cum vulgo* fruar, nec *eadem studia cum populo tractem, eadem bona* sequar, *eadem mala quæ ipsis videntur, cum populo* fugiam: *tunc* referam *illi & respondebo* quod cauta *illa* vulpes *apud Æsopum* leoni ægroto respondit. *Cum enim leo jam senior venatu amplius victum sibi quærere non posset, simulato morbo in antro suo recumbens reliqua animalia ut se regem officij gratiâ invisant & salutent, hortatur, quæ ille postea omnia devorat. Qui cum Vulpem interrogaret, cur & non ipsa ingrederetur: respondit illa, vestigia sese deterrere, cum videat* omnia *introrsum,* nulla retrorsum spectare, *nec reditum animalibus ingressis ullum esse datum, sic etjam* me vestigia *illa* terrent *ne vulgi opiniones sequar, quibus omnes sequentes perditos neminem unquam servatum vidi. A vitijs enim, qui semel ingressus est, & quo*

facile descensus patet, non magis licet recedere, quàm ab inferis & infernis illis sedibus. *Sanè tu ò vulgus* multorum capitum belua es, *in quo variæ formæ ac figuræ, nec unum cum alio, imo ne secum quidem consentit.* Nam *cum tanta vulgi dissimilitudo & inconstantia sit* quid sequar *in vulgo* aut quem *fugiam?* pars hominum *foricas, & alia* publica, *& vectigalia magno suo emolumento* gaudet conducere, sunt *alij* qui *orborum hæreditates captent, &* frustis, *crustulis, placentis,* pomis & *consimilibus* viduas *divites &* avaras *capiant &* venentur, & senes *orbos insidiosè muneribus suis* excipiant, quos *in suas nassas muneribus suis & obsequijs inescatos* mittant (*non aliter atq; aucupes & venatores aves ferasq; captas* in vivaria *includunt*) *donec tandē illorum bona consequantur.* Multis *nummis in usuram datis* fœnore occultè *die & nocte crescente* res *opesq;* crescunt, *& augmentum sumunt.* Verùm *age* esto alios alijs studijs, *alijs* rebus detineri, *variorumq; hominum varias sententias & opiniones esse. At hoc intolerabile, quod unus & idem homo uno sæpe tempore diversa sentiat.* *Age enim* possuntne idem *homines vel per unam* horam durare *& perseverare,* ut eadem probent *& sequantur?* Si *enim* dives *aliquis in animo suo* dixit *& statuit, quod* nullus *alter* in orbe sinus Baijs *in sinu Lucrino* amænissimo *loco* prælucceat *aut præferendus sit: Ibi statim ipse* lacus, *ipsumq;* mare *prope Bajas* amorem *studiumq;* heri *lapides sementa & ferramenta comportari jubentis, & ad ædificia in mari struenda summo studio* festinantis sentit. *At verò* cui *hero si paulò post* libido *animi* vitiosa *consilij initium aut* auspicium fecerit, *animumq; ejus mutaverit, tunc, inquiet, vos à* fabri ferramenta *lapides, & cæmenta* Teanum *opidum Campaniæ* cras *feretis, ubi palatium aut tectorium exstruam.* *Si maritus sit, & uxorem habeat, &* lectus genialis *conjugio & gignendis liberis destinatus* in aulâ *positus* est, *tunc vult esse sine conjuge &* ait, nihil prius, nihil melius esse vitâ cælibe *extra conjugium:* si *verò* non est *maritus, tunc* jurat solis maritis bene esse, *nihilq; melius esse conjugio.* *Hunc hominem tantopere sibi ipsi dissimilem, & verè* Protea *in omnes formas transmutabilem,* vultus *suus toties* mutantem *quo vinculo constringam,* quo nodo teneam, *ne adeò varius & lubricus elabatur?* Quid *autem* pauper? *hic verò vide &* ride, *nam in ipso etjam eadem prorsus quæ in divitibus, quam dixi, inconstantia.* *Ille habitationes suas ædium superiores ipsa* cænacula *singulis annis bis terve* mutat, *mutat* lectos, *modo ruri, modo in urbe degens,*

mutat

mutat balnea, *mutat* tonsores, *& cum proprium non habeat* conducto *ab alijs* navigio æque nauseat, *æquè fastidio afficitur*, atq; locuples *aliquis* quem priva *quædam aut propria navis* tribus remigum *ordinibus agitata* ducit, *& eodem fastidio rerum, eâdem inconstantiâ laborat. At verò quanta stultitia talem in corpore inæqualitatem risu & cachinno excipere, tantam animi inæqualitatem & inconstantiam negligere & floccifacere?* *Si enim forte tibi* occurram capillos non æqualiter *à* tonsore decurtatos *habens, tunc me* irrides: si forte subucula trita *aut pannus subsutus obsitus* tunicæ pexæ *lanosæ ac villosæ* subest, vel si toga impar *& inæqualis in humeris meis* sedet, *& ab unâ parte longius in terrã propendeat, in alterâ magis elevata, tunc me* irrides. Quid cum meâ sententia, secum pugnat, *cum meus animus & dißimilis est & inæqualis, cum in mente meâ tanta est varietas & inconstantia, cum illa* quod *paulo antę* petijt, *mox* perdit, *cum* quod nuper *parum sibi placens* amisit, *illud* repetit, *cum animi perturbationibus & inconstantiâ tanquam maris æstu perturbatus agitatur,* æstuat *& commovetur,* & *in* toto vitæ ordine *malè quadrat,* malè convenit *cum* diruit *& destruit, & diruta rursus* ædificat; *&* quadrata *cum* rotundis, *rotunda cum quadratis* permutat: *cur non multo justius hæc ridentur, cumq; levis corporis vel etjam externi habitus inæqualitas tam ridicula sit, cur immenso intervallo major & gravior animi silentio præteritur?* *Nimirum* putas me *communi &* solenni *omnium hominum* insaniâ teneri, *nec puculiari furore laborare cum maxima hominum pars eodem morbo jactetur, & ob id mihi ignoscis,* nec *insanum me esse censes, qui* medici *operâ & ellebori meracâ potione ad insaniam expurgandam,* nec curatoris, *qui mihi tanquam furioso* à prætore detur, me censes indigere. *Hæc quæ negligenda non erant, tu in me negligis,* cum *tamen ad te* mearum rerum *cura &* tutela *pertineat, & contra in corporis cultu vel ob leve peccatum,* & *vel* ob unguem pravè *inæqualiter* resectum *irasceris &* stomacharis, *cum animi vitia & inconstantiam* amici *tui reprehendere potius deberes, amici, inquam,* de te *uno & solo* pendentis, teq; *unum & solum* respicientis. Ad summam, *& ut pauca ad multa redigam, sapientia omnibus rebus humanis anteponenda est, quæ hujus in me animi morbi, de quo dixi, expultrix, aliorum vitiorum omnium medicina est, & quam hâc senili ætate mihi propono.* *Nimirum vir* sapiens *omnes mortales anteit, uni DEO cedit,* uni Iove *inferior* minor *& secundus* est, est dives, *si non corporis*

certè animæ bonis, est liber *& sui juris nulli mortalium subjectus*, est *etiam* honoratus, *nempe cui sapientia præ omnibus honoribus sufficit*, est pulcher *& formosus, si non corporis, certè animæ bonis*, est deniq; rex regum *& imperator omnium, & si infirmitate corporis non detineatur*, aut pituitâ *aliusve morbus ipsi* molestus non sit, *tunc* præcipuè *& imprimis præ alijs* sanus est, *& animo pariter & corpore valet, cum pleriq; alij corpore tantum sani sint, animi autem infinitis morbis continuò laborent & jactentur.*

EPISTOLA II.

AD M. LOLLIUM MAXIMUM.

CUM *animi studiorumq; gratiâ*, M. Lolli Maxime, *me nuper in vicinum opidum* Præneste *tanquam in secessum contulissem, in* Trojani belli scriptorem *Homerum incidi, illumq;*, dum tu Romæ *oratoriam exerces, &* declamas, *& vitia detestatus de virtute disputat, diligenter atq; sedulo* relegi, *& perlustravi. Nimirum qui auctor virtutis atq; Prudentiæ, ut mihi certè videtur, magister est longè accuratißimus, Atq; adeo* qui *Poëmate suo* quid pulcrum sit, *&* quid turpe, *quid honestum sit, quid inhonestum* quid *in vitâ* utile, *&* quid non *sit utile longè* plenius *& uberius, longè* meliùs *& accuratiùs* dicit, quàm Chrysippus *Stoicus divinus ille Dialecticus egregijs suis de Virtute libris*, & Crantor *Solensis, qui Virtute, Sapientiâ, & Eloquentiâ in Academiâ summam laudem consecutus est. Ne verò censeas me plus amori illius vatis, quàm veritati dare, nimiumq; me* Homero *attribuere*, cur ita crediderim, *mecumq; statuerim*, nisi *alijs forte negotijs occuparis, neq;* te quidquam detinet, *atq; prohibet*, audi me, *illud tibi aperiam, quæq; in utroq; eximij illius Poëmatis opere præcipua, inq; primis consideranda mihi videnter, breviter perstringam, & repetam. Principio ut ab Iliade exordiar, quæ primum Homeri opus est, illud Poëma sive* fabula, *quid aliud, quàm commune vitæ humanæ exemplum, quàm expressa quædam vitæ morumq; nostrorum in alienis personis imago? & quam eamdem fabulam nos quotidiè agimus, mutatis tantum personis. Nimirum in quâ pulcherrimè à Poëtâ* narratur, *quod atrocia delicta atrocibus pœnis puniantur,*

quòd

quòd unius sæpe viri crimen tota civitas luat, quòd propter amorem ac libidinem Paridis Alexandri Priami & Hecubæ filij, qui Helenam alterius Menelai Spartanorum regis conjugem hospitij jure nefariè violato rapuerat, secumq; Trojam abduxerat, tota Græcia, cum Barbariâ Phrygiâ lento decem annorum duello commissa, collisa, & conflictata fuerit, & Troja tandem ferro ac flammis diruta sit. Quæq; adeò stultorum Græciæ ac Trojæ principum, regum & populorum æstus, animorum motus, adfectus, perturbationes, amores, libidines, diversos mores, dissimilia ingenia, variaq; consilia continet, nobisq; tanquam in speculo vel exemplo ad intuendum, imitandum, fugiendum proponit. De quibus ut è multis pauca repetam: Antenor justi atq; pacifici animi exemplum inter Trojanos, cum Græcorum legati prædam, Helenamq; reposcerent, publicæ tranquillitatis, & communis utilitatis, & justitiæ demq; & æquitatis studio belli caussam præcidendam, & Helenam Græcorum legatis restituendam esse censet, atq; suadet. Quid interea Paris ille adulter facit, & cogitat? Nimirum ille magnopere hoc tam salutari consilio offenditur, & Antenori quantum potest adversatur. Qui scilicet ut Genio suo indulgeat, & suo judicio salvus sit, & tanquam regnum gubernet, & felix ac beatus vivat (qui sine Helenâ vitam sibi vitalem fore negat,) suasq; adeo nefarias libidines expleat, Helenam Græcis restituendam neget nulloq; jure, ut illam à se dimittat, cogi sese posse adfirmat. Nestor ille Nelei filius, Pyli rex, qui tertiam jam ætatem hominum vixerat, & è cujus ore melle dulcior fluebat oratio, senilis prudentiæ gravitatis, & auctoritatis exemplum proponitur: Qui insigni suâ eloquentiâ litem vel controversiam inter Pelei filium Achillem, & Atrei filium Anamemnonem exortam componere, & dissentientes inter se ducum animos, sibi invicem reconciliare festinat, & studiosè contendit Agamemnon enim cum Chrysæ sacerdotis Apollinis filiam, ob quam pestis inter Græcos exorta erat, patri restituere cogeretur: iratus Achilli amicam suam Briseidem vi eripit, unde gravissima illa exorta contentio, in quâ hunc, quem dixi Agamemnonem amor Chryseidis,, quam perditè amabat, ira verò, & indignatio utrumq; ducem, Achillem propter ereptam Briseida, Agamemnonem ob restituendam Chryseida urit, & in alterius odium communiter mirè exstimulat. Vnde nimirum quidquid ipsi duo reges per iræ aut libidinis furorem delirant, & stultè peccant, & delinquunt, ejus culpam Achivi subditi miseri & innoxij luunt, & ob id plectuntur. Agamemnon enim dum Chryseida patri

non vult restituere, diram pestem in Græcorum castris concitat, quâ multa militum millia periérunt. Achilles autem dum ob ereptam sibi Briseida iratus non amplius contra Trojanos pugnat, innumeros Græcorum milites Hectori, aliisq; Trojanorum trucidandos objectat. Et ne longum faciam, sed ut multa ad pauca redigam, tam ab obsidentibus, quàm ab obsessis, tam extra Iliacos *urbis Trojanæ* muros, *quam* intra, *tam à Græcis quam à Barbaris Trojanis multifariam* peccatur, *hic quidem in urbe* scelere, *rapinâ,* libidine, *atq; adulterio, illic verò* seditione, dolis, *amore* atq; iracundiâ. *Et hoc quidem qualecunq; Iliados argumentum, multorum scelerum & vitiorum quæ pleraq; & se præcipitant, & tum aliis, tum vel maximè auctoribus exitio sunt, eximium exemplar & speculum. At contra* rursus *in alterâ Poëmatis parte Odyssea, in quâ Vlyssis ærumnas & errores post captam Trojam describit,* Vlyssem nobis proposuit *eximium vitæ humanæ speculum, &* utile exemplar, *quo demonstratur* quid virtus & sapientia, *prudentia & tolerantia in vitâ mortalium* posit. *Nimirum* qui *Vlyssem cũ post decem annorum bellum rapto Palladio, & Ilio everso victor tandem, &* domitor *urbis* Trojæ *evasit, prudens &* providus, *cordatus & circumspectus, non solum viginti annorum peregrinatione multos locos populosq; accessit,* multorum hominum urbes & mores inspexit, *& nulla non pericula terrâ mariq; adiit, plurimarumq; rerum experientiam, & perfectam civilem prudentiam sibi comparavit: Verum etjam indevictam animi constantiam, & inconcussam firmitudinem atq; robur dum omnis generis calamitatibus exercetur, consecutus est.* Dum *enim, ut Homerus scripsit,* per latum æquor, *& spaciosum illud mare Græcum ab eversâ* Trojâ sibi ac suis *socijs in patriam Ithacam* reditum parat, *& suam comitumq; animam vitamq; redimit,* multa aspera *& adversa integro decennio* pertulit, *interea semper sibi in pectore Palladium illud retinet, Non Moveri, non concuti, non perturbari, eandem animi æquabilitatem semper retinere, non secundis attolli, non adversis premi. Scilicet qui in hâc vitâ humanâ tanquam pelago variis turbinibus, procellis & tempestatibus expositus tot* adversis rerum undis immersabilis, *tot naufragiorum & periculorum fluctibus nunquam obruendus, tot voluptatum illecebris nunquam inescandus, nunquam labefactandus fuit.* Nôsti *voluptates, ô Lolli, nôsti voluptatum effectum in hoc vitæ humanæ mari, quæ tanquam immanes scopuli, & naufraga saxa illi, qui ad virtutis & Sapientiæ portum rectè velit contingere, præternavigandæ sunt, quæq; plurimos mortalium in*

lium in famæ, opum ac vitæ naufragia abripiunt. Hasce *prudentißimus ille vates per* Sirenum voces *& cantus, & per venenata & incantata* Circes pocula *sub fabularum involucris egregiè descripsit.* Nam *quod Poëtæ de Sirenibus Acheloi & Calliopes Musæ filiabus, de Aglaophonid, Telxiope, Pisinoë, Lygeâ, quibus alij addunt Parthenopen, Leucosiam, Aglaopen, Molpen, & Erisichen, fingunt, quòd quisquis illas canentes audivisset, æternùm cuperet apud illas delitescere, & nunquam de reditu in patriam cogitarit; nihil aliud est, quam voluptates, & meretriciæ libidines, quibus quicunq; aures suas semel indulsit, æternùm illarum volutabro inhærere cupit, nunquam ad frugem virtutis & Sapientiæ pervenit, nunquam etjam de reditu ad Deum & honestatem in patriam cogitat; ad quarum blanditias virum bonum aures occlusas habere sociorum suorum exemplo Vlysses admonet. Quod etjam de Circe Solis & Persæ filiâ famigerabili veneficâ fabulosè memorat, quod Vlyßis socios pharmaco in potum exhibito virgâ tactos in porcos transmutaverit, à cujus veneficijs Vlysses Mercurij beneficio herbâ Moly tutus & securus fuerit: Quidnam aliud, quàm homines per voluptatum venena, & veneficia ab hominis dignitate, & præstantiâ desciscere, & in voluptatum volutabro cum brutis & porcis æternùm degere, & volutari? à quibus tum demum aliquis securus, ubi herbâ illâ Moly, non nisi Dei beneficio oblatâ, continentiâ, inquam, & temperantiâ sese munivit. Vlysses igitur tanquam vir prudens nec Sirenum voluptatum cantus dulcedine & suavitate capi, aut ab honesto & recto in vitæ humanæ maris cursu avocari potuit, nec Circes pocula, quibus alijs brutalem ignaviam & beluinam voluptatem, feritatem, & ignorantiam præbibebat, gustare voluit.* Et quæ *pocula* si cum socijs *suis* stultus *& imprudens*, & *juxta cum ipsis pravarum voluptatum æque* cupidus bibisset; *non minus atq; ipsi socij turpißimum scorti mancipium factus, & in voluptatum sordibus* turpis, excors, *stupidus & stolidus velut libidinosus &* immundus canis, & *velut porcus aut* sus luto, *& cæni volutabro teterrimo* amica *æternùm* fuisset, *vitamq;* sub *turpi* meretrice, dominâ *procaci & insolenti turpem & ingloriam* vixisset. *Et talis quidem Vlysses ab Homero describitur, omnis humanæ virtutis & prudentiæ præclarum exemplar. At quid interea nos sumus, qui talia legimus, quibusq; talia intuenda, & imitanda proponuntur? Nimirum* nos sumus *non tales, qualis in Odysseâ Vlysses depingitur, sed quales in eâdem* Penelopes *Vlyßis conjugis* sponsi *sive proci, illorumq; perditißimorum hominum exempla & mores sectamur; sumus in-*

-*utilia*

ctilia terræ pondera, nulli usui, tantum aliorum hominum numerum expleamus, quorum modulus vitæ culina est, & *qui tantum* nati *sunt* ad fruges consumendas, *in edendo,* & *bibendo occupati, inertissimi, mollissimi,* & *dissolutissimi; Porci Circes sumus,* nebulones & *nequam sumus* , & *Phæaces* Alcinoi *populus sumus, quibus convivia, cithara,* & *chori, vestesq; subinde mutatæ,* & *calida lavacra placent; talis* juventus *sumus,* in cute & *corpore* curando plus æquo *occupata,* & operata , *in indulgendo Genio,* & *obsequendo animo plus justo laboris impendens* ; cui in *multam noctem perpotare, in multam lucem postea* & medios dies *stertere,* & *crapulam* edormire, & ad *lyræ* strepitum *aut* citharæ *cantum vel sonitum omnes* curas *cessatum* ducere, *omnes sollicitudines sopire,* & cessare facere, pulcrum & *præclarum* fuit, & *pro summo bono habitum; Animi autem bona virtutem* & *Sapientiam supinè negligimus* & *contemnimus.* At *verò quæ hæc nostra civium Romanorum malitia; quæ hæc voluntatum studiorumq; nostrorum flagitiosa perversitas! quæ autem hæc supina negligentia, Summi Boni,* & *salutis animi nihil recordantium?* Nunquamne *tandem aliquando hoc tam profundo veterno excusso ad benè beateq; vivendum evigilabimus,* & *ad virtutis* & *Sapientiæ studium,* & *honestas actiones nos conferemus, nosq; ab illis quorum vita* & *mors juxta æstimanda, à beluis, brutis, canibus,* & *porcis,* & *summâ adeo vitâ miseriâ vindicabimus? Quid autem?* Nonne *ille suo jure ac merito nimis negligens nimiumq; supinus* & *ignavus habetur, qui nolit noctis tempore expergisci, vigilando latrocinium avertere,* & *seipsum servare, cum periculum instare præsentiat: cum* latrones & *sicarij* ut *flagitia perpetrent,* homines *jugulent,* & *è medio tollant nimis quàm sint studiosi, in tuam perniciem vigilent,* & de *mediâ* nocte surgant. *Quid de te judicabitur, homo flagitiosissime, nonne tu longè magis tui negligens, tuiq; nimis securus* & *prodigus habendus es, qui non corporis, sed animi latronibus, animi, dico, morbis vitijs ,* & *flagitijs die ac nocte in tuam perniciem vigilantibus, die ac nocte tuæ animi saluti insidias struentibus vigilando, laborando, studendo nolis resistere, teq; ex animi morte eripere,* & *servare? atq; adeo* ut te ipsum serves nolis expergisci, *cum alij ut te jugulent, vigilant.* Atqui *cur non in tempore* & *maturè dum adhuc potes, te servas, dum adhuc sanabilis es vitijs occurris, dum in viam adhuc reduci potes vitæ ducem quæris: ne aliquando prostratâ valetudine animi,* & *in gravescente ejusdem morbo frustra vitium corrigere,* & *malo inveterato remedium serò quærere cogâris? Quemadmodum enim*

ſi te nolis ſervare dum adhuc ſanus es, & medicum audire, ac præſervantibus bonam valetudinem nolis tueri, ſed illam libidine, luxu, & intemperantiâ malis corrumpere: futurum omnino eſt ut olim podagricus, hydropicus, aut alio morbo laborans ad medicum curras, & medicis conſultis maximo ſtudio & labore morbos profligare coneris, non ſine periculo ſanitatis nunquam recuperandæ: Eodem prorſus modo ſi animum, dum adhuc à vitijs purum habes, ſtudio virtutis & Sapientiæ dare nolueris in tempore, & vitiorum principijs dum adhuc potes obſtare; reliquum erit, ut habitu vitiorum contracto animi medicos Philoſophos fruſtra poſt modum accedas, cum remedio amplius locus non eſt. Quocirca ut ex his tot tantisq; vitijs, animiq; morbis, & latronibus vitæ ac ſaluti tuæ inſidiantibus te liberes, vigila, & labora. Vtiq; cum vigilandum homini & laborandum ſit. Quod ſi ſanus vigilare tuiq; curam habere nolueris, vigilabis ægrotus. Vtrum vis horum elige. Certè ſi non vigilabis ſtudio virtutis & Sapientiæ, futurum, ut animi morbis vitijs atq; flagitijs excarnificatus vigiles: & niſi nocturno tempore Sapientiæ magiſtros legas, & librum alicujus Philoſophi cum lumine ante diem poſcas, ſi animum tuum laboribus, ſtudijs, vigilijs & rebus honeſtis non intendas, paulo poſt invidiâ, avaritiâ, ambitione, libidine, & amore vigil & exſomnis torquebere, & excruciabere; Adeoq; qui ocio neſcit uti ad virtutem & honeſtatem negotium ſibi faciet peccatis animiq; morbis; quiq; virtutis ac Sapientiæ ſtudijs vigilare nolet, ſceleribus animiq; vitijs poſtmodo vigilabit. Illis enim quicunq; agitantur, nullo in loco tranquillo animo eſſe poſſunt. Quo magis deteſtanda eſt noſtrorum hominum ſocordia dicam, an perverſitas, qui corporis curam, vel exactiſſimam ſuſcipiunt, animum verò incultu & ſocordiâ planè marceſcere ſinunt, & perire. Nam cur tantopere laboras in corporis malis vel minimis depellendis, & cur illa quæ oculos lædunt, ut ſi vel tenuiſſimus pulvis oculum exaſperet, continuò feſtinas illa demere, & rurſus eximere, ſi contra id quod animum tuum adeſt, abſumit, male habet, & adfligit, ejus curandi tempus in longos, & multos annos usq; differs? Deteſtandæ imprimis generi mortalium pernicioſiſſimæ illæ dilationes: Non enim vivimus ſed victuri ſumus, & plerumq; noſtrûm ſtudia & actiones craſtinum reſpiciunt. Salutare ego illud ſi quod unquam aureum Heſiodi dictum, quod Principium dimidium totius ſit, dimidiumq; facti habeat, qui cœpit, & ut Plato, principium omnis operis maximum eſt, Et ut Ariſtoteles, quod plus, quàm dimidium totius principium videatur. Quare, quando

cunctando & differendo metu quodammodo à Sapientiâ & Virtute capessendâ deterreri videris, age tandem aliquid Sapere, & honestæ rei tractare aude, nec gravi arduo atq; difficili rerum honestarum principio ulterius deterrêre, sed nihil differens aut procrastinans Incipe, & Hoc age. Sanè quicunq; tempus aut horam vel rectè vivendi, vel aliquid in honestatis & Sapientiæ studio proficiendi prorogat, ille similis est rustico illi stolido, qui cum iter faciens ad amnem pervenit, eumq; continuo fluentem videt, tamdiu apud amnem sibi expectandum censet, donec totus amnis defluat, & arescente alveo sicco pede transire posset. Verum sicut amnis fluens & volubilis semper labitur, semper lapsus est, semperq; labetur in omne ævum: Ita ignavus nescio quid caussarum socordiæ suæ prætexit: Sed illæ semper illi suppetunt, cum ignavo semper sint feriæ. Quamvis autem studio sapientiæ ac virtutis nihil potius, nihil præclarius in vitâ mortalium Deorum munere concessum sit; Tamen nostri Romani cives illud divitijs & honoribus præponere non erubescunt. Non enim Virtus & Prudentia à Romanis nostris quæritur, sed argentum & divitiæ, quæritur dives, beata, & bene dotata uxor procurandis liberis, & loca inutilia, & silvæ incultæ arantur, vomere pacantur & excoluntur, & ad fruges producendas præparantur. Et omnia hæc ad congerendas opes nimias & immodicas spectant. At verò quantulum est, quo natura contenta est, quam parvo illa dimittitur, nisi cui major fames sit, quàm venter? Cui vero tantum opum contigit, quod homini secundum naturam viventi satis est, ille nihil amplius exoptet ac desideret: Sed virtutem potius & Sapientiam quærat, sine qua etjam summi honores, & maximæ divitiæ longè sunt miserrimæ. Non enim domus magnifica, non opimus ager aut fundus, non ingens æris, auri, & pecuniarum acervus, ex ægroto domini divitiarum possessoris corpore febres, non ex animo domini curas & sollicitudines deduxit & profligavit: Sed oportet ut divitiarum possessor ante omnia valeat, idq; non corpore solum, sed animo potissimum, si rebus comportatis, opibusq; conquisitis benè & rectè uti cogitat, quarum usus vel sine sanitate miserabilis, vel sine virtute perniciosus. Exemplo sit avarus, qui opes suas perinde habet, ac si non haberet, nec illis solum quæ non habet indiget, sed illis etjam quæ habet. Quorsum illi divitiæ? Sane avarus, qui cupit opes possidere, metuitq; illas amittere, qui desiderat opibus suis perfrui, sed formidat, ne ad paupertatem redigatur, illum domus splendida, & res copiosa sic juvat, sic delectat & re-

& recreat, ut egregiè pictæ tabulæ, aut speculum lippum cæcutientem, aut quod insanabilem morbum podagram fomenta quamvis salutaria, vel deniq; quantum citharæ jucundissimus cantus auriculas ex collectâ longo tempore sorde dolentes & surdastras. Quod enim cæco speculum, quod podagræ remedia, quod surdis lyræ sonitus præstat; hoc divitiæ avaris. Quæ ne ipsis possessoribus noxiæ aut inutiles sint, animus ante omnia virtute & Sapientiâ est perpurgandus. Quemadmodum enim dolijs è taxo arbore venenatâ factis nobilissima etjam vina infusâ mortifera sunt, & quo meliora hoc magis noxia, & venenata: Sic salutaris aliàs doctrina, opes, & honores, si in animum pestilentem incidant, pessima redduntur. Sic est: Nisi vas sincerum & defæcatum est, quodcunque illi infundis acescet, inq; urinam, aut venenum mutabitur: Sic animus nisi à pravis adfectibus & cupiditatibus purgatus sit, virtutem capit, & quidquid capit corrumpit. Primo ergo omnium requiritur, ut vitiosos adfectus pravasq; cupiditates animo ejicias, & malæ vitæ quasi venena evomas, si bonæ vitæ succis ali, & tranquillè beateq; vivere cupias. Ante omnia igitur circa voluptates & dolores rite recteq; te gere, imprimisq; voluptates sperne. Nam voluptas inhonesta, quæ dolore emitur, & pœnitentiam in tergo secum trahit, & plus aloës, quam mellis habet, illa mala est, & nocet. Nec minus ab avaritiâ infinito malo purgandus es. Avarus enim nō de acquisitis sed de acquirendis cogitat, & semper eget, semper ipsi deest aliquid cui nihil satis est. Quare hoc malum fuge, & non in infinitum desiderium habendi extende, sed voto tuo certum finem opum congerendarum pete, certam metam & modum tibi statue ac propone, ad quem ubi perveneris nihil ultra expetas, sed partis utaris & vivas. Vt nihil jam de invidiâ dicam, quæ pessima possessorem suum lædit, ejusq; cor livore tabefacit. Invidus enim alijs lætantibus dolet, alijs fortunatis infelix est, & alterius rebus opimis & florentibus macrescit, ossibus exsiccatur, & crudelibus tormentis adfligitur, adeoq; ne ipsi quidem Siciliæ tyranni Phalaris ille truculentissimus in subditos suos & homines sceleratos majus tormentum, aut crudelius supplicium invenerunt hac ægritudine ex alterius rebus secundis susceptâ, hâc exsecrabili animi torturâ Invidiâ. His addo iracundiam, gravissimum in vitâ mortalium malum, quæ multos homines exitio dedit, unde homicidia, latrocinia, multaq; aliæ injuriæ, quæ plerisq; exitiales per jugulum redire solent. Adq; adeo, qui iræ suæ non moderabitur, illiq; frenum rationis non injicit, illum mox facti pœnitebit, cum infectum

fieri jam amplius nequit; ille paullo post illud non factum esse volet, *quod factum est, &* quod *effrenis iræ* dolor, & mens *furore mota ac perturbata irato paullo ante* suaserit, dum *iracundus iræ impatientiâ, &* odio nondum ulto, *sed vindictam desiderante* per vim, *& furiosum impetum pœnas* festinat, *seq; ulcisci properè desiderat. Raro enim fit per insaniam, cujus ipsum auctorem ubi ad meliorem mentem redierit, postea non pœniteat. Jam verò* ira *si proximè ad ejus naturam respiciamus nihil aliud* est, *quam* brevis furor *& insania, quæ dum ad vindictam furioso impetu erumpere cupit rationis dominium excutit, & mentem præcipitat. Quocirca insanam illam iracundiam doma, furiosum hunc adfectum inbibe, & iram* animumq; *tuam vince, & rationis imperio* rege; qui nisi *rationi* paret, *rationi* imperat, *rationem subvertit, & secum præcipitem ducit & seducit, & instar furiosi equi aurigam secum abripit. Quare cum furiosos catenis ac vinculis constringere soleamus, tu* hunc *iracundiæ insanæ furorem, tanquam equum ferocem & indomitum, præceptis sapientiæ, ratione, patientiâ, injuriorum contemtu, tanquam* frenis ac catenis *quantum potest constringe, inbibe, &* compesce. *Atq; hæc virtutis ac Sapientiæ præcepta non senibus, quorum animos frangas citius quàm corrigas, cum in pravum induruérunt, sed junioribus præcipio, quorum animi teneri & cerei adhuc ad virtutis & Sapientiæ studia possunt efformari. Multum enim est à teneris adsuescere. Velut enim* magister *equorum domitor* equum *juniorem &* docilem, *dum adhuc* tenerâ *est* cervice, *& ad domandum facili* fingit *format, & docet, illam* viam ire, *& incedere, non* quam *ipse equus velit, sed quam ipse* eques *insessor* monstret, *& habenæ frenorumq; imperio obtemperare; Et quemadmodum* catulus *aliquis* venaticus ex *illo* tempore, quo *ad venatum institutus est, &* cervinam *aliquam* pellem, *cervæ similem & cibo impletam* in aulâ latravit, *appetijt, discerpsit, & laceravit, ex illo, inquam, tempore quo illud quondam in aulâ fecit,* in silvis *non simulatas sed veras cervas agitat,* militat, *& venatur, & promptius atq; expeditius feras insectatur: Sic tu etjam* nunc *dum tener adhuc &* puer es, puro *animo, & sincero* pectoris *tui* vase verba *virtutis & Sapientiæ præcepta* adbibe, *& veluti pura & candida adhuc lana virtutis & Sapientiæ colorem imbibe:* Et nunc *dum tenerâ adhuc cervice cereus & tractabilis es* te melioribus *& sapientioribus informandum* offer, *te honestis & salutaribus disciplinis erudiendum dede, te bonis artibus rectisq; opinionibus imbuendum præbe. Quæ enim primis annis imbibi-*

imbibimus, illa nobis postea toto vitæ tempore adhærent. Quemadmodum enim nova quædam & recens testa illum odorem *sive bonum sive malum* diu servabit, *& retinebit,* quo *dum recens adhuc fuit,* semel imbuta est, *& infecta: Ita etjam pueri animus dum adhuc recens ac tener est, quibuscunque vel virtutibus vel vitijs semel informatur & imbuitur, ad extremum usque vitæ tempus retinebit. Quocirca à primis, quod dicitur, unguiculis optimis adsuescendum est, eorumque studium minimè differendum aut procrastinendum, sed in tempore occupandum est. Quæ dum mecum considero, subit mihi mentem illud Aristotelis, qui interrogatus, quomodo discipuli magnos progressus faciant: Si tardos, respondit, vel sequentes non exspectent, sed præcedentes sequantur: Ita ego quoque in hoc virtutis & Sapientiæ studio & stadio, ignavos, cessatores, procrastinatores non moror nec exspecto, sed prætereuntes, & præcedentes sequor. Quamvis in hoc certamine liberrimè pro meo arbitratu, nullo aliorum respectu sequentium aut antecedentium versor, ad nullos alios adstrictus, sed meus, & liber.* Quod si *tu* cesses *aut differendo honestas actiones & studia, meras trabas, ut calcaribus opus habeas:* aut *in hoc virtutis stadio sedulus,* strenuis, *& velox* anteis, *aut præcedes, ego* nec *te* tardum *& ignavum maneo vel* operior, nec *strenuis & velocibus* præcedentibus insto, *eosque antevertere studeo. Non enim quid alij agant, sed quid me dignum sit considero, nec alieno arbitrio & exemplo, sed meo vivere cupio, & proficere.*

EPISTOLA III.

AD JVLIVM ANTONIVM FLORVM AFRICANVM.

Q*Vonam jam in loco res ac fortunæ vestræ sint,* Iuli *Antoni* Flore *Africane, quisnam belli status ac fortuna, &* quibus *jam* terrarum oris Claudius *Tiberius Nero Tiberij & Liviæ Drusillæ filius,* Augusti *Cæsaris* privignus *& ad optivus filius, summus belli præfectus ab Augusto constitutus, & sub quo tu stipendia meres, bella gerat &* militet, *quàm primum literis tuis certior fieri cupio, &* scire laboro, *ac desidero.* Ecquid vos *militantes* Thracia *jam detineat,* & *Thraciæ mons & fluvius nobilissimus* Hebrus, *ob loci septentrionalis frigus hiemali præsertim tempore ob nives glaciemque tardiùs fluens, &* nivali *ac*

glaciali quasi compede vinctus, detentus & adstrictus vos teneat, An verò intra Hellesponti freta inter turres duarum nobilissimarum civitatum Sesti & Abydi vicinas, & è regione sitas arctissimis pelagi angustijs currentia, & interjacentia consistatis: An verò fertilissimæ Asiæ pingues campi & feraces colles amœnitate suâ & fœcunditate vos adhuc remorentur. Rem ergo mihi feceris longè gratissimam, si de his & alijs primo quoq; tempore ad me perscripseris; nimirum ubi castra metati sitis, & quomodo cum integro exercitu valeatis. Imprimis autem quidnam studiosa commilitonum tuorum cohors virorum & Poëtarum doctissimorum operum struat, & quæ studia dum in statione est, inter arma tractet & exerceat. Nam plerosq; horum præclaris negotijs animum intendere, & ad gloriam nominis sempiternam viam grassari non sum nescius. Hoc quoq; inter alia scire curo, mihiq; ut significes percupio, quisnam vestrum res Augusti Cæsaris Patris patriæ præclarè gestas discribere, & posteritati consecrare famat. Quisnam vestrum ejus bella & paces, ejus præclara facinora domi & foris, in otio & negotio in Imperij Romani salutem perpetrata vivido carmine, vel pedestri historiâ in longum futurum ævum, atq; adeò æternùm duraturâ pro materiæ dignitate & majestate diffundat, & plenè fusè, & copiosè describat, Præterea quidnam M. Titius rerum gerat, quæ ingenij monumenta meditetur ac moliatur. Nimirum qui jam talia opera tractat, quæ brevi post reditum recitaturus est, & quibus ob præclaram ingenij doctrinæq; excellentiam in admiratione populi Romani futurus est, inq; Romanorum civium ora, sermonem, atq; laudem brevi perventurus est. Certè qui inaudito nostræ ætatis exemplo vel Pindarici fontis haustus non expalluit, qui Dircæi vatis styli magnitudinem æmulari non timuit, qui gravissimi illius Poëtarum sermonis copiosam majestatem, & sententiarum divinam profunditatem imitari non reformidavit: Contra verò ausus fuit ingenij sui dexteritate materias vulgares, & obvias, tanquam turbidos lacus, & rivulos à Pindaro longo intervallo manantes omnibus patentes & apertos fastidire, nec carmen aliquod triviale vulgari monetâ excudere, sed ad interiora ac remotiora Musarum abdita penetrare, & inde suo capiti æternam coronam decerpere. Satius nimirum ratus ex ipso fonte aquam haurire, quàm è lacunis rivisq; inde derivatis sitim restinguere. Vt valet jam ille Titius ? ut nostri amici sui Horatij meminit? Anne jam studet Lyrici Poëtæ Pindari Thebani versuum pedes & modos Romano sermoni adjungere, & Latinis

fidibus

[...]bus aptare, & *ad exemplum Pindari Græci versus Latinos scribere, & ad lyram cantare, idq; ipsius Apollinis ductu, & ipsa* Musâ *benivola* auspice *favente, & fortunante:* An *verò ad sublimiora adhuc contendit, &* in arte Tragicâ *Aeschili, Euripidis, Sophoclis exemplo se exercet, ibiq; sæva, crudelia, & inmania principum facta, & calamitosos eventus, & casus scribendo* desævit, & *atrociter depingit, & pro* Tragicâ *magni & grandiloquentiâ magnificis & sublimibus verbis turget & inflatus est, & quasi* ampullatur. *Tum verò imprimis scire cupio,* quid Celsus *ille plagiarius jam* agat, *Certè qui hactenus multis verbis à me* monitus *est*, mihique *in posterum* multùm monendus *est, ne ulteriùs aliena opera pro suis venditet ac usurpet, sed* ut privatas opes quærat, *et proprios labores, & opera suis lucubrationibus paria, non autem furtim ex aliorum libris transscripta in lucem edat*, & *etjam atq; etjam* vitet, ne *illa* scripta tangat, & *eodem plagio spoliet,* quæ jam *evulgata sunt, & quæ* Apollo Palatinus *jam olim sibi consecrata in publicam Bibliothecam* recepit. *Si enim hæc etjam pro suis venditare, seq; alienis plumis hinc desumtis ornare vellet, facile illud plagium omnibus innotesceret.* Ne *scilicet idem ipsi contingat, quod graculo vel cornici Aesopicæ, quæ pennarum suarum ingredine offensa, pulcherrimis aliarum avium plumis sese exornavit, seq; ambitiosa & superba alijs spectandam exhibuit.* Tandem *in conventu* avium, *cum totus alitum* grex *illâ cornicis insolentiâ offensus repeteret* suas plumas, *ipsa* cornicula furtivis *suis versi* coloribus *aliarum avium pennis* nudata, & *exuta, omnibus præsentibus* risum & *jocum commovit: Sic ille etjam alijs deridiculo sit,* si fortè olim *Poëtarum grex sua carmina & inventa per plagium sibi erepta,* repetitum venerit, & *sua sibi restituerit.* *Deniq;* tu ipse *Juli Fiore*, quid audes, *quid legis, scribis, & meditaris?* Circa quænam *optimorum auctorum monumenta, tanquam* agilis, *sedula, diligens, & sollers apis circa* thyma, *flores, atq; rosas,* volitas, *unde optimarum sententiarum, aureorumq; dictorum mellificium tibi conficias?* *In hisce enim præclarißimis operibus te occupari sat scio.* *Etenim* ingenium tibi non parvum, *nec vulgare* est; *Idem ingenium tibi* non incultum *est, sed humanitatis litteris studijsq; probè excultum*, nec *deniq; illud rusticum aut agreste est, aut* turpiter *horridum &* hirsutum, *sed elegans & perpolitum, quibuscunq; etjam operibus te exerceas, ubiq; palmam possides.* Sive *enim in judicio aut foro eloquentiam tuam exerces, tuamq;* linguam causis *dicendis* acuis & *expolis, mira tua est facundia*: Sive

etjam

etjam de jure alicujus caussæ consultus secundum jura civilia respondere, & unicuiq; jus suum adsignare paras,, summa ingenij tui est dexteritas: Seu, denique amabile aliquod carmen omnibus suis numeris plenum & absolutum condis, & conscribis, semper & ubiq; prima præmia, & præcipuam coronam hederæ victricis referes & reportabis. Nihilq; omnino in te desiderari existimem quo minus ad æternam illam virtutem & Sapientiam cum æternâ tui nominis famâ atq; gloriâ conjunctam pervenias: modo huc opera & studia tua unicè velis dirigere & conferre. Quod si honorum & opum contentiones, frigida illa curarum & sollicitudinum fomenta & alimenta posses relinquere, deq; inanibus illis & supervacuis curâ te liberares, quæ tanquam frigora te ad præclara festinantem retardant, & ad cœlum animum erigere non permittunt, per litterarum studia tibi in cœlum iter munires, eoq; ires atq; ascenderes, quo cœlestis Sapientia viam tibi præiret, teq; ritè sequentem duceret. Atqui omne studium, omnis cura atq; labor huc impendendus, huc dirigendus erat. Nam hoc opus, quod sapientiæ studijs debetur, hoc studium, quo summâ animi contentione in id elaborandum est, ut abjectis opum atq; honorum curis quid hominis excellentiâ dignum sit, consideremus, & agamus: sive parvi, sive ampli simus, sive pauperes sive divitis cujuscunq; ordines & conditionis properè ac maturè inchoemus, idq; unum & solum agamus: Si modo nostræ patriæ, si modo nobis ipsis cari vivere, & utibiles atq; salutares esse volumus. Postremo hoc mihi etjam penes præsentem tabellarium debes rescribere, anne jam cum fratre tuo in gratiam redieris, illeq; tibi reconciliatus sit: ecquid dissensio inter vos exorta jam sopita sit, nunquid ad pristinam concordiam tandem aliquando reducti sitis, & sit ne ille frater tuus Munatius Plancus rursus jam tantæ tibi curæ, quantæ frater fratri esse naturali lege conveniat: An verò, quod non spero, prisca illa fratrum gratia atq; amicitia malè adhuc sarta sit, & distracta adhuc maneat, & hactenus nequidquam coit, frustraq; conjungitur, vinculumq; necessitudinis adhuc rescissum est, & simultatum reliquiæ etjamnum in vobis relinquantur? Atqui vos, egregij fratres, quid indignius hâc inter germanos fratres discordiâ & inimicitiâ, quos natura voluit esse conjunctissimos? Certè vos, qui adeo feri asperi, & iracundi estis cervice nimis durâ & indomita sive juvenilis iracundiæ fervor, & sanguis bile tumidus & calidus, sive rerum inscitia & juvenilis adhuc imprudentia vos vexat; sive Romæ sive in bello illud fiat, ubicunq; locorum vivitis, indigni

indigni estis, qui odijs turpissimis inter vos dissideatis & sanctissimum fraternı amoris fœdus atque vinculum rumpere & dissolvere studeatis. Auctor ergo vobis sum in gratiam ut redeatis, & veterem amicitiam redintegrare studeatis: Ego interim Romæ vestrum fratrum vel in veterem concordiam & amorem, vel etjam in patriam reditum avidissimè exspecto, in quem juvenca quædā deorum sacrificijs devota & votiva à me pascitur, & alia ad conviviorum solemnitates à me instituuntur & præparantur.

EPISTOLA IV.

AD ALBIVM TIBVLLVM POETAM.

QVanquam jam diu, Albi Tibulle vates clarissime, & Satyrarum, & Epistolarum sermonumque nostrorum judex sine odio invidiæ, & adsentatione candide & sincere, quanquam, inquam, jam diu ignorem quidnam agas, vel rerum geras, eo quod jam in Pedanâ regione Inter Tibur & Præneste loco amœnissimo in secessu tuo diu hinc à nobis abes, diuque est quod nihil à te litterarum acceperim: tamen, si te tuumque animum rectè pernovi, quidquid agas ab optimi viri studijs alienum non esse certus sum. Quid ergo te nunc facere aut rerum gerere dicam? Anne dicam te aliquid scribere & elaborare quod vel Cassij Parmensis eximij illius Poëtæ, aliorumque tam veterum quàm recentium vatum præclara opuscula vincat, & longo intervallo superet: Anne vero dicam te esse tacitum, nihilque ipsum scribentem & recitantem, sed in aliorum scriptis legendis occupatum ibi in amœnissimo loco inter silvas gratas & salubres lentè incedere, & cogitabundum reptare, illud curantem, illud agentem & meditantem, quidquid viro bono & sapiente dignum est; & in primis te, tuoque præclaro ingenio & studio. Non enim tu bardus, ac vecors es, veluti aliquis cui caput sine cerebro, aut corpus sine pectore fuit, sed omnibus sive ingenij, sive corporis, sive externis fortunæ bonis à Deo cumulatissimè instructus es. Dij enim tibi corporis formam aut staturam dederunt pulcherrimam: Dij tibi etjam divitias dederunt amplissimas; & quod omnium maximum est, dederunt tibi Virtutem & Sapientiam, hoc est artem recte & rectè divitijs utendi aut fruendi, sine qua frustra illæ penes; quam bono junctæ erant. Quid us Deorum immor-

D talium

talium summis quis te non beatum deputet, & inter mortales vel præcipuè felicem? Et quidnam nutricula, *vel Pædagogus, vel mater etjam, quæ sollicita & anxia de filiorum salute esse solet, & pro illis vota quæ longè optima esse censet sollicitè suscipere, suo* dulci alumno, *caro discipulo, aut filio* majus, *melius & excellentius à Dijs petat, & votis precibusq;* exoptet, quàm *quod te consecutum video: Nimirum ut principio Sapientiâ & Eloquentiâ instructus sit, hoc est* ut posset sapere, *ut quid in vitâ mortalium, & naturâ rerum, verum & quid falsum, quid bonum quid malum, quid honestum, quid inhonestum, quid utile quid inutile sit scire & cognoscere;*&*postea illa* quæ *in animo suo* sentiat *& meditatus sit* fari *queat, suiq; animi sensa convenienti oratione alijs exponere, & communicare.* Deinde *ut quod proximum est,* illi *quoq; propter morum integritatem & elegantiam apud quosvis, potissimum verò apud bonos* gratia; *ut illi ex vitâ integerrimè actâ, & præclaris ingenij monumentis præclara nominis* fama; *ut illi bona corporis sanitas &* valetudo, *sine quâ omnia corporis & externa bona miseriæ sunt, affatim &* abundè contingat: Et *deniq; ut illi* victus *etjam nec luxuriosus, nec sordidus, sed* mundus *& liberalis, idq;* crumenâ *vel numario sacculo* non deficiente, *sed ad res necessarias sufficiente. Hisce tot ac tantis bonis, quibus nihil majus, nihil excellentius in vitâ mortalium cogitari, vel à Dijs immortalibus exoptari potest, tu instructus es, Albi* Tibulle. *Quid amplius quæris aut desideras? Reliquum ergo ut bonis illis tot & tantis, quantum potest jucundissimè perfruaris, & ex animi sententiâ hilariter ac jucundè vivas, & verè vivas. Vt autem verè vivas, nec mortuo similem vitam degas in diem debes vivere, sine ullis curis & adfectibus, qui vitæ tranquillitatem & jucunditatem perturbant, & summo hominis bono, ipsa felicitate, & voluptate homines perfrui non permittunt. Atq; adeo quam diu inter adfectus versaris, quàm diu sollicitaris* inter spem *longam de rebus futuris, & non præsentia potius bona & gaudia occupas, quàm diu versaris inter* curam *& sollicitudinem, quæ vitam miseram & calamitosam exhibent; quam diu occuparis* inter timores, *inter* iras, *inter reliquos pravos adfectus; te nondum rectè vixisse existima, quin imo* quemcunq; diem *inter tales curas & adfectus animiq; perturbationes transegeris, illam* tibi *miseram calamitosam, minimè vitalem, sed mortalem, atq; adeo ultimam &* supremam, *ipsiq; morti proximam* diluxisse crede. *Illa contra dies, illud tempus, & illa* hora, quæ non sperabitur, *si* superveniet grata *& accepta erit, & si quid præter spem tibi eveniat, illud*

pro ma-

pro magno bono habendum, inq; lucro deputandum est. Vides ergo quomodo tibi imposterum vivendum sit, nimirum in diem, sine ullâ curâ & sollicitudine de crastino, aut de illo quod futurum sit, ut ipsâ vitæ humanæ felicitate, ipsâ perfectâ voluptate rectè & ritè perfrui possis: idq; meo Horatij exemplo. Nam ubi ad me venies talem me invenies, nimirum de nullâ aliâ re, quàm de curando corpore sollicitum, pinguem, obæsum, & torosum, ac cute bene curatâ nitidum & politum. Si enim porcum aliquem de Epicuri suum grege, quem Stoici non ex Scholâ, sed ex harâ prodiisse dicerent, impendio saginatum videre & ridere voles (ut qualem porcum sine risu intueri nequeas) me ubi Romam veneris vises, & accedes.

EPISTOLA V.

AD MANLIUM TORQUATUM.

DIU est, Manli Torquate, quod te ad cœnam vocare, tecumq; frontem exporrigere, Genioq; indulgere gestio, jamq; adeo ad tenue & frugale in ædibus meis convivium te invito. Quod si tu desideratissimus & gratissimus conviva mihi futurus Archaicis à majoribus antiquitus usurpatis lectis, è ligno fabricatis domi meæ recumbere potes, nec in eburneis aut argenteis spondis ostro Tyrio & stragulâ veste purpureâ instratis molliter recubare mavis, nec ex modicâ patellâ non copiosâ & latâ divitum lance, omne olus, omnia fercula (quæ pauca tantum apponam integra comedenda, si quis famem sedare cupiat) mecum absumere & cœnare times, & frugalem cœnam æqui boniq; consulere: Te domi meæ sole supremo quasi & ultimo hâc die, sub horizontem occidente, circa horam diei undecimam aut duodecimam vesperi exspectabo, & manebo. Vina apud me non admodum magni precij, nec generosa, sed vulgaria tantum & mediocria bibes, quæ Tito Statilio Tauro iterum consule, & secundùm jam consulatum gerente in Campaniæ finibus inter Minturnas civitatem paludosam, & Petrinum montem, Sinuessanæ civitati imminentem, nata, & è torculari, lacu, aut dolio in amphoras diffusa sunt. Quod si tu, M. Torquate, hoc meo qualicunq; vino aliquid melius, vel nobilius aliud habes, me ad te arcesse, aut illud tecum ad me perferri cures, vel si non habes, illa quæ à me apponuntur

æqui boniq; consule, & meum qualiscunque convivij regis imperium, æquo animo perfer: & mibi te invitanti morem gere. Reliquum ergo est, ut ad futuras convivij solennitates, & comissationes te præpares. Iamdudum enim domi meæ tibi aliisq; convivis meis omnia parata sunt, focus luculento igne calet, & tota domus meæ supellex munda & tersa nitet & resplendet. Quocirca tu quidquid serium & ingratum est relinque, & leves spes, vanasq; ac fallaces de rebus futuris cogitationes mitte, & hodie, inq; diem vive. & divitiarum certamina, & immodicas in comparandis opibus contentiones, & pecuniarum studium inquietum & Molestiam clientis tui cavillationes & alia negotia forensia, quibus nimium occupâris, intermitte, & paulisper à te remove, teq; hodie nobis indulge, & hunc diem prompto hilariq; animo hodie nobiscum sume. Nec enim opus erit, ut cras summo mane surgas, & ad consuetas occupationes & labores revertares. Cras enim dies est, qui Augusto Cæsare patriæ patre olim nato natalis & festus est, in gaudijs & lætis convivijs transigendus, nullisq; occupationibus tribuendus, nempe qui ab omnibus molestis laboribus veniam dat, & ocium, voluptatem, somniumq; benignè omnibus indulget, & largitur. Nihil ergo nos prohibet hodie, sed impune & sine ullo damno licebit hoc mense Julio, quo Augustus quondam natus, æstivam hanc futuram noctem, benigno sermone, multisq; liberalibus jocis ac ludis jucundissimè in lucem usq; extendere, proferre, ac producere, & mane in multam lucem stertere, & crapulam omnem rursum edormiscere, & exhalere. Quorsum enim mibi divitiæ & facultates, si illis animo indulgendo, & ad genium exhilarandum nolim perfrui? Et quò fortunas mihi exoptem, ad quid pecunias opesq; mibi cupiam, si illis nunquam uti, illarumq; jucundum usum nunquam consequi mihi conceditur? Certè mihi tam quod haberem, quàm quod non haberem deforet. Quo magis illorum stultitia insana pariter & ridicula mihi videtur, qui ut locupletes moriantur egenti fato vivunt, ut ingratis heredibus amplissimas divitias post mortem relinquant, dum vivunt suum genium defraudantes miserrimè vivunt. Profectò, qui nimium parcus & avarus, nimis severus, tetricus, cogitabundus & morosus est propter accumulandas divitias, idq; propter heredis curam, ut illum post mortem divitem & locupletem reddat, ille insano proximus adsidet, & homini furioso persimilis est. Ego verò ut ab hâc dementi insaniâ me alienum esse declarem, & quantum potest à tam manifesto furore mibi caveam largiter potare, & flores inter bibendum copiose spargere incipiam,

incipiam, & vel inconsultus, prodigus, aut luxuriosus haberi ab alijs patiar, quàm sordidus & avarus. Nam ut vivamus, & jucundè vivamus nati sumus, quod ut consequamur, incredibile memoratu est quantum læta convivia & commessationes etjam ad ebrietatem usq; ponderis ac momenti habeant. Quas enim voluptates, quæ vitæ commoda convivia nobis præstant? quanta autem gaudia læta inter pocula cum amicis ludi & joci nobis exhibent? Et quid adeo jucunda ebrietas non designat, non perpetrat & molitur? Hæc nimirum suavissimo suo tormento simpliciter atq; candidè nudam veritatem profert, quæ aperta erant operta facit, quæ clausa erant, illa aperit & recludit, mentisq; abdita secreta & penetralia rimatur, nihil dissimulans & mentita. Hæc illa Diva est, quæ tristibus & sollicitis alloquium præbet, quæ mentibus anxijs solatium reducit, & spes de bonis futuris plerunq; vanas & fallaces ratas & certas esse jubet: Nihilq; est tam arduum, quod ebrius audacter sperare, & tanquam certò futurum confidenter exspectare non audeat. Hæc illa armorum præses Bellona quasi; quæ per summam animi confidentiam omni metu deposito vires fortes & magnanimos præstat, & sæpe inermes etjam sine ullo periculorum metu in prælia detrudit. Hæc deniq; illa humanarum mentium serenitas, quæ in sollicitis & turbatis hominum animis omnem nebulam & caliginem curarum discutit, quæ omne ingratum sollicitudinum onus exspectorat, & ex animo eximit; quæ artes, scientias & disciplinas addocet, nihilq; tam arduum atq; difficile censet, quod sublimi mentis indagine non se adire, atq; superare posse statuat. Atq; adeò quisnam unquam inventus est adeo mutus aut elinguis, quem fæcundi & abundantes calices non facundum atq; disertum fecère? Quis unquam adeo tenui re, in contractâ & angustâ adeo paupertate constitutus fuit, quem curis & perturbationibus, tristitiâ & mœrore non liberum, non solutum prestiterit? Cum ergo tanta ac talis res sit lætum convivium, & jucunda inter ludos & jocos ebrietas, & humanæ secundum voluptatem vitæ pars non postrema; non sanè illa, quæ huc spectant, temerè negligere, sed in primis illorum curam suscipere debemus. Egoq; adeo, qui vos ad lætas convivij solemnitates invito, illud ab ipsâ quodammodo naturâ jubeor atq; imperor, meiq; officij cum primis esse intelligo, ut etjam atq; etjam illa procurem, quæ gaudia nostra promovere, illa caveam quæ gaudia nostra contaminare possint. In quibus sanè ipsis procurator sum mirè aptus & idoneus, idq; libenter meâq; sponte ultro facio, & non invitus; ut scilicet prospiciam, ne quid apponatur, quod

tur, quod convivas quoquo modo poßit offendere, ne toral, *aut vestis stragula, quæ lecto discubitorio inducitur* turpis *& immunda,* ne mappa *quâ manus convivarũ absterguntur* sordida *& illota convivas nauseantes offendat, illorumq́* nares *fastidio* in rugas contrahat; *sed ut omnia munda ac nitida sint,* nec non cantharus & lanx *in mensâ meâ adeo sit splendida, & fulgens, ut speculi instar* te tibi *intuenti* ostendat, *& in quâ tanquam in speculo te ipsum contemplari & intueri poßis.* *Et hæc quidem prima mea cura erit.* *Deinde talis etjam convivas tibi adjungam quibus cum liberrimè quidquid cupias loqui poßis, sine ullo metu, ne fortè illa, quæ liberius dicta sunt, effutiantur, vel* ne inter fidos amicos *& convivas futilis aliquis, & vanus* sit, qui *aliorum sermones &* dicta foris *quasi* extra limen ejiciat, *& divulget.* *Cumq́ pares cum paribus facilè congregentur, dabo operam,* ut *apud me* par cum pari, *æqualis cum æquali* coëat, & conjungatur. *Quare* tibi Brutum & Septimium assumam, *& Tityum etjam* Sabinum, nisi *forte illum alibi* lautior & prior cæna, *quàm apud me,* & potior *pulcriorq́* puella, *quam in meo convivio ipsum* detinet, & *remoratur.* *Cum verò nostrum quinq́ tantum numero simus,* pluribus etjam *alijs* umbris *à me non invitatis, quas vobiscum adducere potestis, in mensâ meâ* locus est. Sed *tamen ne nimis multi sint, & ob id arctiùs & incommodiùs discumbamus; quæ res convivij suavitatem non parum solet offendere.* *Vbi enim nimis arctè & angustè discumbitur, ibi ob sudorem & calorem, fœdus ex sudore sub axillis odor tanquam* olidæ capræ, *vel gravis aliquis hircus* convivia *ob multitudinem discumbentium* nimis arcta premunt, *onerant, & contaminant.* *Quare si plures tecum alios adducere volueris, me velim ut præmoneas, &* rescribas, quotus tu *numero* esse, *& ad nos* velis *accedere, & quot numero tecum velis adducere, ut apparatus cænæ & decubitus hospitum numero respondere poßit;* & *deniq́ omnibus* rebus *& negotijs* omissis *atq́ depositis, maturè ad me veni.* *Quod ut commodè poßis facere,* clientem, *qui præ foribus tuis te patronum suum exspectat,* atria *domus tuas intentè* observantem postico *ædium tuarum ostio* falle *& decipe, perq́ falsam portam, ne tibi in morâ sit, latenter exi, & ad me festina.* *Vale.*

EPISTO-

EPISTOLA VI.

AD LVCIVM NVMICIVM PLANCVM.

Nimirum *hic vir bonus est Luci* Numici, *qui nullâ re humanâ commovetur aut perturbatur, cui animo fixum in totâ humanâ vitâ ne latum quidem unguem à virtute bonâ conscientiâ, & animi tranquillitate recedere, qui nihil timet, nihil cupit, nihilq; admiratur.* Nam nihil *cupere aut metuere, nullamq; rem* admirari, *nullis adfectibus agitari, nullâ ex opinione hominum re magnâ commoveri,* & *omnibus quæ fiunt acquiescere hæc verò* prope sola atq; una res est, quæ *in vitâ mortalium animum hominis* beatum & facere & *conservare, ipsiusq; humanæ felicitatis caussam efficientem & conservantem præstare* possit. Et *ne quis existimet me talia in felicitate & beatitudine humanâ requirere quæ optare liceat consequi non liceat, & qualia in humanos animos non cadant, multorum exemplis fidem mihi possem facere, quæ jam lubens ac sciens silentio prætereo. Nam si viri fortes & animosi* non desunt, qui *eo animi robore, constantiâ, & magnitudine præditi fuerunt, ut nullâ re humanâ, quantumvis opinione mortalium maximâ perturbentur, atq; adeo* hunc *quem omnes cernimus* solem, *hoc cœli & mundi decus, qui hunc terrarum globum magnitudine suâ centum & sexaginta sex vicibus superat,* & *lucidissimas illas* stellas *cœlestia corpora, pulcherrima cœli decora,* & *deniq; anni* tempora certis *hiemis, veris, æstatis, auctumni vicissitudinum* momentis decedentia *& transeuntia* spectant *quidem, sed nullo adfectu,* nullâ *cupiditate aut* formidine imbuti, *& eodem vultu omnia intuentur secunda, adversa, læta, tristia, nec ullâ ratione commoveantur, sed impavidi perseverent si vel cœlestis orbis fractus illabatur. Quod si qui in rebus vel suo jure maximis illâ animi firmitudine præditi fuerunt, ut ne tantillum* quidem *moveantur, quantâ animi indevictâ magnitudine robpre & firmitudine mortalia, fluxa, & caduca despicient? Et quâ ratione,* quo modo, quo sensu, quo ore, *vultu, & oculis* spectanda *ab illis, & despicienda* credis *inania & nugacia? &* quid censes *quantâ animi magnitudine sine ullo adfectu intueantur* terræ munera, *quæ ex se culta & non culta profert, aurum, argentum, marmor, æra, & omnia terrâ nascentia?* Quid *autem uniones, gemmas, ebenum, & alia* maris *mune-*

munera, quod Arabas & Indos extremos, longiſsimo intervallo à nobis remotos muneribus ſuis divites facit? Quid deniq; alia ludicra & nugacia, ut ſunt plauſus, dignitates, honores, & magiſtratus, quæ in vulgi arbitrio poſita ſunt, & Quiritis populi Romani largitionibus, aliiſq; malis artibus corrupti, amici, & faventis dona ſunt! Nimirum pro his omnibus ne manum quidem vertent. Non ſolum autem illi qui hujuſmodi cupiunt animo concutiuntur moventur, & perturbantur, ſed etjam, qui metuunt & reformidant. Nam quicunq; his, quæ dixi adverſa timet, qui honores expetit & repulſam metuit, qui divitias exoptat, & paupertatem reformidat, ille ferè eodem pacto miratur animo commovetur & perturbatur, quo ille prior, qui cupiebat. Nimirum animus beatus & tranquillus eſt, qui nec gaudet nec dolet, nec cupit nec metuit. Nam ſimulatq; improviſa rerum ſpecies, & inſperatus eventus ſive boni ſive mali apparentis utrumq; vel dolore vel gaudio nimio exterret utrobiq; in cupiendo & metuendo ingratus & moleſtus pavor eſt, hinc ne aſſequatur cupita, illinc ne fugiat adverſa. Sic cum ex improviſo opes cupienti paupertas objicitur, & contra paupertatem formidanti opes ac divitiæ, alter immodicâ lætitiâ, alter immodico gaudio perturbatur, deq; animi tranquillitate dejicitur. Adeoq; ſive aliquis gaudeat ſive doleat, ſive cupiat ſive metuat, quid ad rem ſpectat? Cum nihil interſit, quâcunq; tandem ratione animus perturbetur, ſi quidquid præter ſpem & expectationem boni vel mali alicui accidat, ſi quidquid aliquis ex improviſo vidit vel melius, vel pejus ſuâ ſpe vel gaudio vel dolore nimio ob id perturbetur, & dum nimiâ perturbatione animus quaſi eclipſin patitur oculis defixis & immotis corde palpitat, membris trepidat, atq; adeo animo & corpore torpet, obrigeſcit, hebet, & ſtupore quaſi hæret, & deficit; cum nimium nimis magno gaudij vel doloris objecto animus validiſsimè concutitur atq; pulſatur. Atq; adeo animi tranquillitas in vitâ mortalium tantopere commendanda eſt, & non à nimio metu ſolum, ſed à cupiditate etjam cavendum eſt, & ſi fieri poſsit, ut quis vel ipſam virtutem & Sapientiam ultra quàm ſatis eſt appetat, nimiumq; cupiat atq; deſideret, & vel nimio virtutis deſiderio animi perpetuam æqualitatem & tranquillitatem non retineat, ille æquum eſt, ut ſi ſapiens ſit ſtultus & inſanus, ſi æquus ſit injuſti atq; iniqui nomen ferat, quod vel ipſam virtutem nimium admiratus animi [illegible] nobilem tranquillitatem non retinuerit. Quod ſi re in ipsâ [illegible] Virtute & Sapientiâ nimia admiratio, nimia cupiditas atq; deſiderium tolerari po-

vari potest; quid de illis statuerimus, qui opes & honores res vilissimas & vanissimas præ virtute & Sapientiâ insano stupore demirantur. I nunc homo stolidissime & miserrime, teq; vento infla, vel terrâ obrue, honoribus, inquam, intumesce, & opes accumula, & argentum atq; aurum, & vetus marmor statuasq; & vasa ærea, antiqui artificij, arte Polycleti, Phidiæ, Myronis, Paxitelis cum stupore suspice, & Tyrios in purpureis vestibus tanquam felicissimorum hominum colores cum gemmis & unionibus preciosis mirare, teq; talium rerum desiderio agita & perturba, tuâq; eloquentiâ delectare, & quod mille oculi te tanquam facundum, & eloquentem videant, mille aures audiant, gaude, atq; insolesce, & opibus atq; nummis inhia, & sedulo diligenterq; mercaturam exerce, & tanquam gnavus & industrius mane forum Romanum pete, & vespertino tempore tectum domus tuæ repete, ne scilicet quispiam qui te ignobilior, te ditior inveniatur, neq; Mutius, aut quivis alius obscuro genere ex agris cum uxore in dotem acceptis plus frumenti quotannis emetat. Indignum enim & minimè ferendum, ut hic ignobiles Mutius aut quivis alius qui pejoribus & humilioribus parentibus ortus cum sit, propter divitias suas tibi potius mirabilis sit, quàm tu illi. Talia & consimili, cum anxietate atq; stupore quære, & demirare teq; omnis generis adfectibus ipsâ morte gravioribus agita & perturba. Sanè si vel viri justi & Sapientes in Virtutis & Sapientiæ nimio desiderio nomen suum deperdunt, quis te res nugacissimas insano mentis stupore demirantem maximè stolidum atq; insanum neget? Quid enim opibus & divitijs incertius, & quid hâc vitâ mortalium fluxum & fragile magis, quæ tamen tanto tam insano adfectu demiramur? Sanè quemadmodum tempus vel ætas quicquid sub terrâ est æs, marmor, argentum, aurum, & consimilia alia, quæ in terræ visceribus abdita latent, in apricum eruet, inq; apertum atq; in lucem ex operto & tenebris proferet: Ita vicissim omnia splendida, magnifica, sublimia, illustria, & nitentia, ut summas opes, & amplissimos honores rursus defodiet & abolebit, & sub terrâ rursus recondet & abscondet. Cum enim ad splendoris honoris & dignitatis cacumina sublimè erectus es, & in totâ urbe Româ satis illustris & nobilis fueris, & M. Vipsanij Agrippæ porticus ubi caussæ agitantur, & via Appia te benè notum, satis honoratum & conspicuum conspexerit, mortis tamen conditionem evitare nullâ ratione poteris, tibiq; reliquum restat, eò ire, quo vel pius Aeneas, & Numa Pompilius, Ancus Martius, & alij sanctissimi & integerrimi

E heroes

heroës devenêrunt, te opes atq; honores à morte unquam liberabunt. Quin ego tandem aliquando evigila, & sapere incipe, quicq; ad tuam salutem pertineat accuratiùs tecum perpende, & quemadmodum in morbis corporis, ita etjam in animi vitijs remedium quære, Atq; age si latus tuum pleuritide, aut renes tui calculo, aut alio acuto periculosoq; morbo tententur aut excrucientur, quære tibi morbi remedium, ut dolorem & mortem effugias. Vis autem animo valere, & rectè vivere, & ut perpetuam animi tranquillitatem retineas, nunquam commovearis, nunquam perturberis: juxta Sapientiæ & virtutis præcepta vitam tuam institue. Si enim una & sola virtus tibi hoc dare, hoc præstare potest, age hoc unum & solum fortiter age, hoc unum gnaviter exerce, huic uni & soli incumbe, idq; delitijs & voluptatibus missis & relictis. Quod si aliter animatus es, caussam non dico quin in tuâ miseriâ, varijs adfectibus & perturbationibus æternùm perseveres. Si enim in virtutis ac Sapientiæ studijs planè profanus es, & quemadmodum homines stolidi & profani lucum tantum, ligna, & arbores, quas vident, esse censent, non autem rem sacram aut numini alicui consecratam sancti quidpiam in se continere: Sic etjam rem sanctißimam Philosophiam & Virtutem inania verba, & otiosos Philosophorum sermones esse censes, neq; quidquam ad beatam vitam conferre putas: tunc tua studia fortiter exsequere, nihil impedio, negotiare, opes tuas accumula, pecunias congere, & cave ne alter quispiam mercator suis navibus te præveniat, & portus occupet, ne negotia in urbe Ciliciæ Cybiri intermittas, ne mercimonia in Bithyniâ, & opes inde provenientes deperdas. Nihil autem inexplebili tuo desiderio sufficiat, in infinitum cupiditates tuas extende, mille talenta à te accumulentur & congerantur, & in acervum constructa rotundentur. Hisce mox totidem altera, vel adhuc alia mille talenta à te addantur. Porro adhuc tertia alia mille talenta his accedant; quin etjam succedat illa talentorum pars, quæ nummorum acervum quadret, & quadruplicem reddat, ut ita porro decies, vicies, centies, millies opes tuæ geminentur. Quippe cum pecunia & opes totius mundi imperium obtineant, & illa Scilicet terrarum domina ac regina pecunia donat uxorem cum amplißimâ dote, donat virtutem, & fidem, donat amicos & familiares plurimos, donat genus & nobilitatem, & formam atq; pulcritudinem totam, & ipsa suadela, ipsa dicendi facultas & eloquentia, ipsa Venus, & Gratia, amorq; divites & bene numatos decorat, & honoratißimos efficit. Et quid

ipsa pe-

ipsâ pecuniâ majus aut magnificentius excogitari potest? Tu autem cave, *ne quid rerum pecuniâ comparandarum tibi desit, sed cura ut omnibus abundes.* Cappadocum rex, *ut de illo memorant,* mancipijs locuples *est. & abundat; Verum hac re unâ sola abundat,* æris *autem & pecuniæ* indiget, *& inops est.* Hic *talis, qualem, ut dixi, Cappadocum regem memorant,* tu ne fueris *similis, o avare. Sed Lucullo potius, qui non unâ re, sed omnibus abundabat. Hic enim* Lucullus *ut historiæ* ajunt, *à prætore quodam, qui magnificos ludos, & apparatissimum spectaculum populo Romano volebat exhibere,* interrogatus, *& obsecratus, ut,* si posset *ipsi* scenæ *& spectaculis exhibendis* centum *purpureas* chlamydes præbere, *publicis ludis ne deesset:* Quî, ait *Lucullus prætori, tot purpureas chlamydas tibi suppeditare* potero, *cum forte tot non habeam:* tamen & domi *meæ inquiram, &,* quot *chlamydas invenero &* habebo *tibi* mittam. Paullo post *Lucullus prætori* scribit, quinque millia, chlamydum sibi esse, *& ipsius arbitrio reliquit, ut quot vellet inde sibi sumeret, &* vel partem *illarum, vel ut* omnes tolleret. *Inops profectò &* exilis, *vilisq; illa* domus est, ubi non *etjam* multa *abundant,* & supersunt, *quæ à vetustate, carie, tineis, blattis absumantur quæ* dominum *lateant,* & fallant, *quorum numerus à domino ignoretur, & quæ* furibus *etjam domesticis impunè auferantur* & prosint, *& optatissimam furandi occasionem præbeant.* Ergo si *ex opinione avarorum solæ opes ac divitiæ,* sola res *felicitatem humanam præstat,* & beatum facere *&* servare potest, *reliquum est ut* hoc opus, *& hoc negotium divitias scilicet accumulandi* primo *omnium* repetas, postremo *omnium* omittas *tibiq; divitias in principio ac fine omnium tuorum negotiorum proponas.* Sin *verò* species ornatusq; *amplissimorum honorum,* & gratia *favorq; popularis in summo loco habendus, ut qui fortunatum felicem ac beatum* præstet, *eo omnia vostra studia dirigamus:* Nimirum *emamus aut* mercemur *aliquem* servum *nomenclatorem,* qui *nobis candidatis* [illegible] *omnia* nomina *potiorum civium* Romanorum [illegible] dictet, *& in aurem insusurret, ut illos suis nominibus compellare,* [illegible] *salutare, prehensare, sollicitare, illis palpari atq; blandiri queamus,* [illegible] *qui in suffragijs ferendis multum possunt, nobis obsequentes reddere possimus, qui servus à minus honoratâ parte corporis sinistrâ dominum sequens,* [illegible] Romano *obviam facto, domino suo* lævum latus fodicet *vellicetq; & extremis digitis pungat, ipsumq; moneat civem*

 illum

illum salutet ac prehenset, & cogat ipsi civi per ponderosa saxa, lapides, trabes in vijs publicis pontis loco prostratas transeunti benivolentiæ ineundæ, vel auxilij gratiâ dexteram porrigere, & nullum non officij genus deferre: & ita dominum suum compellet: Hic civis Romanus in suâ tribu Fabiâ apud suos plurimum potest. Ille verò, quem ibi vides tibi obviam euntem, in tribu Velinâ gratiâ & auctoritate maximum pollet, quare da operam, ut, si magistratum, quem petis, obtinere cupias, illum tibi adjungas, & concilies; hic porro quem ibi vides procedere tantum auctoritate apud suos valet, ut cuicunq; ipsi lubet, cuicunq; suffragio suo proderit, illi fasces, imperium, atq; magistratum dabit; Contra autem adeo importunus est, ut quidquid obfirmato animo sibi proponat, non quiescet, dum voti compos fiat, & cuicunq; volet curulem sellam eburneam aut eandem majorem eripiet, omniq; dignitate quemcunq; volet exuet. Adde blandienti verba, si quis junior sit, adde salutationi domine frater, si senior domine pater. & prout cuiq; est ætas vel minor, vel grandior ita unumquemq; tibi obviam factum tanquam homo facetus, urbanus blandus facetè alloquere, & blandis verbis in patrem vel fratrem adopta & elige, tibiq; conciliare stude. Hisce enim artibus honores atq; dignitates acquiruntur. Si autem ille qui benè cænat, luxuriosè vivit, & in varietate absoniorum gulæ operam dat, benè beateq; vivit; Age orto jam sole cum dies incipit & lucet voluptates persequamur, & eo, quo gula & ingluvies nos ducit eamus, nihilq; quod ad explendam corporis libidinem pertinet intermittamus, preciosos inq; delitijs habitos pisces capiamus, piscemur, omnisq; generis feras persequamur & venemur idq; ut sine reprehensione atq; infamiâ facere possimus imitemur nepotem illum Gargilium, qui ut sine ullâ reprehensione gulæ suæ impunè indulgere posset & integros etjam apros sibi in cibum apponere, simulabat se venatione & propriâ industriâ omnia capere, & mane jubebat plagas, venabula, servos, & reliqua omnia ad venationem necessaria per forum Romanum populo differtum transire, ut ita ab omnibus venatum ire crederetur. & postea vesperi unus è multis spectatæ magnitudinis mulus in civitatem dorso referret & portaret, aprum non inter venandum captum, sed emtum, & sub venationis specie privato foco admovendum. Et ut omnia quæ ad delitias spectant sedulò persequamur balneis assiduis utamur, & continuè lavemur, idq; propter luxuriam & cibi viniq; varietatem crudi, turgidi, albo ventre, & hydropici lavemur, nullâ curâ virtutis atq; honestatis ha-

ris habitâ, *sed omninò* obliti quid deceat *& quid* non *deceat, modo corporis voluptatem expleamus, ut fas est vilißimos & nequißimos nebulones, qui tali tabulâ ceratâ* digni *sumus qualis illa fuit, quâ* Cerites Ceres *civitatis populi à Romanis infamiâ notati sunt dum suffragiorum jus illis denegabatur, eò quod Romanos unà cum hostibus oppugnassent;* Tales, *existentes quales* Vlyssis Ithacensis remiges *in navi socij,* vitijs *& voluptatibus diffluentes;* cui *beluina, & bonis legibus* interdicta voluptas *apud Circem* potior *habita* fuit, *quam* patria, *quæ omni viro gravi & honesto debet esse longè gratißima, cum non defuerint Gryllus & alij, qui porci apud Circen æterno servitio mancipati manere, quàm, hominis formæ restitui, inque patriam reverti maluerint.* Si *denique quemadmodum* Mimnernus Poëta *Græcus Venereus & voluptuarius* censet sine amore, *Venere,* jocisq; *& convivijs nihil lætum in vitâ humanâ,* nihil jucundum est, *cum inquit:*

Quid vita est, & quid dulci sine Cypride dulce est?

Ah moriar cum non sunt ea grata mihi;

In amore, *venere,* jocis, *atque convivijs, quàm diu vivis,* vive. *His, ò Numici,* vive *&* Vale. *Ego quidem ita de Summo bono & animi beatitudine statuo, illam in perpetua animi tranquillitate sitam esse, qui nihil timeat, nihil cupiat, nihil speret, neque gaudeat & doleat; non autem in opibus, honoribus aut voluptatibus. Quod* si *tu* illis, *quæ ego tibi candidè aperui,* aliquid rectius novisti, *illud tanquam amicus* candidus *& sincerus mihi* imperti: Sin *verò* non, illis *quæ ego dixi, & quibus tu meliora non novisti,* mecum utere, *& perfruere. Vale.*

EPISTOLA VII.

SOllicitus *equidem* tibi *sum, cum rus abirem,* C. *Cilni Mæcenas,* me quinq, *tantum* dies, rure *in ocio, atq. secessu futurum & urbe à te abfuturum*: *Jam verò parum stans meis promißis, sed* mendax *& falsus per* totum *mensem* Sextilem, *qui nunc à Divo Cæsare Augusto nomen habet, per integras quatuor hebdomades absum, & à te desideror, atque exspector.* Atqui *quæ singularis tua humanitas, ut aliorum, sic & hujus peccati mihi veniam indulgebis, utpote cum hoc non oblivione & contemtu tui, tanti amici, factum sit, sed temporis hujus iniquitate, & injurijs cæli potius, quæ quidem hoc calidißimo Augusto mense tanta est, ut aut hic aliquandiu subsistendum, aut certum valetudinis vel vitæ etjam periculum mihi adeundum sit. Quocirco,* C. Mæcenas, Si me dum

ſanus adhuc ſum & Româ abſum carere aliquandiu non vis, brevi me carebis ubi ægrotus aut etjam mortuus Romæ jacero, & ob id illam, ut dixi, veniam mihi dabis ægrotare, aut mori timenti, quam mihi ægroto aut etjam mortuo dares, præſertim hâc æſtate fere mediâ, diebus Canicularibus menſis Auguſti, dum ficus matura hoc tempore omnium prima hoc anno conſpicitur, & intenſiſſimus calor Solis proximè ad verticem accedentis, febres, peſtes, aliosq; morbos concitat, mortuorum cadavera accumulat, & deſignatorem, qui ludis funebribus præeſt, & quo modo, quo ordine, quibus ornamentis quidq; agendum ſit, præſcribit, & deſignat lictoribus, aut miniſtris libitinarijs atratis, & lugubri pullâq; veſte indutis, tanquam perpetuo comitatu decorat & exornat, dumq; ille deſignator cum comitibus ſuis libitinarijs in curandis funeribus perpetuo occupatus eſt, dum hoc tempore morbis opportuno, & planè Acheruntico omnes parentes, Pater, & matercula pro ſalute filiorum ſuorum anxia eſt ſuisq; pueris, ne ægrotare incipiant & moriantur, ſollicitè timet, atq; pallet, & denique dum plebecula cum ſuis advocatis in cauſſis ſuis agendis ſollicita eſt, & advocatorum diligens & officioſa ſedulitas & opella forenſis in cauſſis levibus, & minimi ſæpe momenti præſtanda (dum nullâ ſanitatis ratione habita calidiſſimo tempore non ſub dio ſolum ſunt, verum graves etjam labores ſubeunt) calidas febres, & morbos adducit, multos morti dat, & poſt mortem teſtatorum teſtamenta reſignat, & aperit, & ſuum cuiq; heredi ex teſtatoris voluntate adſignat. Quod igitur tuâ mihi pace liceat, optime Mæcenas, aliquot menſium ſpacio emanebo, teq; vere imminente repetam. Interea hic & alibi ex animi mei ſententiâ vivam, & hoc periculoſo tempore exactam meæ valetudinis rationem habebo, æſtatis tempore calorem, hiemis frigus nimium evitans. Quod ſi his Albanis agris & montibus, in quos hoc calidiſſimo tempore refrigerandi gratiâ ſeceſſi, poſt menſem unum & alterum bruma nives illinit, eosq; hiemali tempore grandine & pruinâ adſpergit; Tum Horatius vates tuus Tarentum, vel in aliam civitatem maritimam ubi per hiemem major calor, ad mare, ex Albanis his montibus deſcendet, ſuæq; valetudini conſulet, & à nimio æſtu hâc æſtate in his montibus, à nimio frigore brumali tempore in locis maritimis calidioribus ſibi cavebit, atq; parcet, & ibi frigore contractus, & parvâ aliquâ cellâ incluſus aliquid ſcribet, qui leget, & ſi modo tu dulcis amice concedes, & tantum mihi temporis ſpacium indulgeas primo vere ineunte cum Zephiris verno tempore flantibus, & cum hirundine omnium primo ve-

mo ve-

mo veris initio te Romæ reviset, & salutabit. Atq; hæc quamvis imprimis mihi arrideant, neq; aliter sine valetudinis aut vitæ periculo agere possim; nihil tamen horum meo arbitratu faciam, sed, omnia tuâ pace, teq; permittente, idq; tuo merito. Magna enim tua, imo immensa in me exstant beneficia. Non enim tu præmiis vulgaribus, aut munusculis vilibus, & supervacuis me locupletem fecisti, vel tali more divitem me reddidisti, quo vanus ille Calaber hospes advenam amicum hospitio exceptum solet ditare, & pyris pomisq;, aliisq; vilibus munusculis oblatis vesci jubet. Nimirum qui in vilibus & abundantibus satis liberalis est, & amicum advenam ad comedenda pyra sic exhortatur: Vescere sodes hisce pyris, quorum apud me magnam habebis copiam. Cui si advena plura accipere renuat, & respondeat: Iam satis est pyrorum, quod accepi: ulteriùs importunè nugacibus illis munusculis instat, & hospitem advenam ad nauseam usq; saturum ad plura comedenda his verbis cogit: At verò tu, o amice tantum pyrorum quantum vis sume tecum, & tolle. Quod si forte peregrinus recuset, & respondeat: Benigne & liberaliter facis, & pro hac tuâ liberalitate gratias tibi ago: respondet ille: Ut vel maximè tu hæc munera respuas, saltem parvis tuis pueris, qui pomis & pyris impensè delectantur, non invisa sed ingrata munera domum tecum feres. Cui si advena demum dicat: Animus tuus liberalis & benignus mihi, ô hospes, ipsius muneris loco est, & hoc tuo munere vel dono, quod tam liberaliter mihi offers, æquè tibi teneor, & tam tibi devincior, quàm si eodem munere onustus à te dimittar, & omnia pyra mecum auferam: Respondet vanus & importunus hospes, ut lubet, & voles ita facito, vel tolle vel relinque illa pyra, non possum te cogere. Quod si pueris hæc pyra tecum auferre nolueris, porcis illa hodie comedenda apud me relinques, tanta mihi illorum copia. Egregiam verò Calabri munificentiam, quæ advenæ amico, cum porcis communis sit, in muneribus vilissimis & passim abundantibus Longè verò alia tua, qui me bello captum, & libertati restitutum agris atq; prædiis donatum locupletem reddidisti. Hoc autem discrimen est inter prodigos & liberales, quod homo prodigus & stultus talia munera donat, & in alios confert, quæ pro nihilo reputat, & tanquam vilia spernit & contemnit, imò verò quæ veluti odit, & tanquam ingrata profundere, & à se removere cupit. Quo etiam nomine prodigo gratia non debetur, cum sine ratione dignis & indignis non juvandi animo sua conferat, idq; talia munera, quæ nullius precij reputat & contemnit, aliis adeo temerè sua

non

non profunderet. Atq; adeo hæc perversa & præpostera donatio rerum vilium & superfluarum vel revera, vel opinione dantis, caussa est cur tot passim ingrati inveniantur, quæ est tanquam seges, uberrimos fructus proferens homines ingratos & beneficiorum immemores. Quippe cum stulta prodigalitas sine ratione etjam indignis præmia conferens neq; danti neq; accipienti utibilis sit, nec gratiam mereatur, nec gratos faciat. Contra autem vir bonus & Sapiens atq; verè liberalis, dignis paratus esse ait, viris bonis & probis promtus esse dicitur. Vt enim stultus & prodigus plerunq; dat indignis, & dat illa, quæ ipse nihili reputat: Sic contra vir liberalis dat viris dignis, probis & honestis, nec tamen sine delectu vilia etjam, & nugacia, sed talia quæ novit in vitâ mortalium esse utilia: & non ignorat quid distent æra, vel veri numi, & precia non pœnitenda à numis projectitijs ex lupinis factis, quibus in Comœdijs utuntur; quid discriminis sit inter nuces poma aut pyra munera Calabri hospitis, & agros, vel prædia suburbana, nec unius ejusdemq; valoris omnia reputat, nec omnia in omnes, & quævis in quosvis sine delectu, aut ratione confert. Quia igitur tantis me exornâsti beneficijs, liberalissimè C. Cilni Mæcenas, pro tuâ tam præclarè de me merentis laude etjam vicissim dignum me præstabo, operamq; dabo ut tuis veris laudibus, tuâ dignitate & præstantiâ, & amplissimis tuis muneribus dignus fuisse videar, inq; primis, gratus, & beneficiorum memor. Interim tamen hoc mihi benignè indulgebis, ut non vel in servitute quasi apud te perpetuò vivere cum libertino patre natus sim, nec quidquam contra meam naturam, meas vires, & facultates in me cogar suscipere. Quod si me velis semper tuo lateri adhærere, & nunquã à te discedere, & ita me tibi adstrictum & mancipatum in hâc senili ætate possidere, ut animi gratiâ nusquam me conferre possim, necesse est ut juvenili ætati me restituas ut pristinos vitæ annos, & forte corporis latus, & juvenile robur mihi reddas, ut illam mihi ætatem, reddas quâ frons mea quæ jam seni calvitio dilatata & magna est, angusta erat, & nigros capillos copiosè provenientes alebat; reddas ætatem risui, jocis, amoribusq; aptam, & imprimis decorum illud ridere in juvenibus, illos jocos cum virginibus dulces & juveniles, & reddas mihi illud mærêre, illum animi morsum & dolorem, inter vina & convivia, ob Cynaræ amicæ petulantes & protervæ clandestinam fugam è convivio, cum impensè dolerem, quid illa clam me sese è convivio subduxisset, Reddas mihi deniq; illa, quæ apud te juvenis impendi, jam ad senium redactus, & illam ætatem, quâ illa, quæ

jam

jam à seniore exigis, sustinere possim. Verum enimvero ego meo jam exemplo illud experior quod dici consuevit: Beneficium accipere est libertatem vendere: & usu mihi venit, quod illi vulpeculæ apud Aesopum. Forte enim quondam vulpecula diuturnâ inediâ attenuata, tenuis & macilenta, inani & famelico ventre per tenue foramen, angustamq; rimam in cumeram aliquam, vas frumenti plenum irrepserat, Cumq; ibi benè saginata, & frumenta ad satietatem usq; probè pasta esset, pleno & distento corpore, per idem foramen, per quod paullo ante inani ventre penetrarat, rursus foras ire frustra foraminis angustiâ pleno & distento ventri obstante tentabat & nitebatur: Sic etjam Horatius ego, qui pauper & tenui ventre sed liberrimus meiq; juris ad te, ò Mæcenas, accessi dives & opum plenus tuâ liberalitate redditus rursus à te sejungi. & pro arbitratu meo vivere non possum, sed semper apud te, tanquam Aesopi vulpecula, in frumenti cumerâ hærere cogor. Quod si ab hâc servitute in pristinam libertatem me vindicare cupiam idem mihi consilium sequendum video, quod in eodem apud Aesopum Apologo vulpeculæ communicatū est. Nimirum cui vulpeculæ in exeundo ita frustra laboranti mustela propius accedens dixit: O vulpecula, si istinc è frumenti vase procul rursus vis effugere, teque ex isto carcere liberatam & solutam pristinæ libertati vis restituere, tum macra, & tenui ventre illud arctum cavum & foramen angustum repetas, quod macra subisti, & ingressa es & quod comedisti rursus ejicias. Nam ut non nisi gracilis & macilenta intrare potuisti, ita non nisi macilenta egredi. Sic etjam Horatius ego si hâc vulpeculæ imagine, similitudine, comparatione, & conditione à te, ô Mæcenas compellar, quod scilicet alia ratione ab hâc servitute mihi discedere non liceat, nisi, vulpis exemplo, accepta munera restituam. & [illegible] ut meiq; juris sim, malo pauper & liber, quàm dives & servus esse. & [illegible] religno, omnia, quæ accepi reddo tibi, & restituo. Nec existimet quisquam, quod jam ob id tanta dicendi libertate utar, quod apud Mæcenatem omnium delitiarum me satietas ceperit, ubi olim ad angustias rursus redactus essem aliter sensurus. Neque enim ego ob id vitam tranquillam, & securum somnum, & quietem plebis, & privatorum hominum tenuiorum quidem sed liberorum laudo & [illegible] ob id magnificas Mæcenatis ædes relinquere, & privatus vivere, altumq; dormire cupio, quod satur sim altilium, & denique ad delitias saginatarum avium, neq; delitiarum saturitatumq; epularum satietas ceperit; Sed quod tantus libertatis amor semper me habuerit, ut

illam cum nullis mundi opibus *permutatam velim*, nec liberrima otia, *& securam privatorum quietem cum* Arabum *divitijs amplißimis commu*to. *Liberiora hæc esse fateor, ô Mæcenas, & asperiora, quam quæ à tanto amico tanto amico dicantur: Sed quia asperius aliquanto non sine manis hoc periculoso tempore, & hac senili meâ ætate reditum à me effiagitas, libertatis amor, qui mecum hactenus vixit, & olim mecum morietur, hæc acerbiora vel invito mihi excusit. Alias meum ingenium meticulosum & ab omni asperitate alienum satis per te nosti. Quippe qui ipse memetipsum sæ*pè verecundum laudasti, *meq́; ob modestiam meam (ut me ipsum laudem) semper maximi fecisti: Et ego vicißim non simulatam, sed veram tecum amicitiam colui, & idem erga te* absens, *qui præsens fui, tuq́; à me præsens atq́;* coram *ob singularem munificentiam* rex, *ob amorem & paternam adfectionem* pater *dictus es, &* audivisti, nec *hisce* nominibus *tuâ excellentiâ dignis absens quam præsens* parciùs *laudatus es. Et hæc omnia merito tuo. Jam verò cum videam me præter spem & opinionem hoc gravi tempore, & hac mea imbecilli ætate, à te servitute premi, omnia quæ accepi restituere desidero. Tu tantum* inspice, *& animo tuo hæc considera, & periculum fac, si illa quæ accepi lubens* posſi *restituere, an quæ mihi à te* donata *sunt*, lætus *& hilaris, an verò graviter & iniquo animo tibi queam* reponere. *Certè si ob illa servitus mihi adeunda fuerit, lætißimo prorsus animo omnia reddam.* Telemachus *ille castæ Penelopes & laboriosi illius &* patientis Vlyſſei proles, *ut est apud Homerum Odyß.* 4. non malè *respondit* Menelao, *cum ipsi egregios equos dono afferret, cum dicit:* O Menelaë Atrida: *Insulæ patriæ meæ* Ithacæ nullus est locus equis aptus, ut neq; planis ſ*pacijs ubi equi pro libitu suo currere & lascivire poßint in longitudinem* porrectus *& extentus*, nec multæ herbæ, *aut copiosi graminis* prodigus *copiosus, & abundans; Quippe parva insula montibus intersepta, scopulis inæqualis, & silvis impedita* minimeq́; *pascuis* apta. *Quocirca pro tuis muneribus gratias tibi ago, &* tua dona *quæ tibi magis apta & idonea sunt tibi* relinquo. *Sic etjam in meo animo liberrimo nullus locus est muneribus, aut talibus beneficijs, quibus libertas vendatur. Quocirca, ô Mæcenas, munera tua amplißima, quæ tibi magis apta, quam mihi sunt, tibi potius reddam & relinquam. Ego enim paucis contentus esse jam olim didici, magna nihil curo.* Parvum *enim me & exiguum* parva etjam decent. *Quare non muneribus, dignitatibus, & delitijs, quibus apud te utor, non capior amplius, sed vitâ securâ & privatâ*

privatâ. Nec mihi jam hâc ætate regia, splendida, & magnifica Roma amplius placet, sed vilia extra Romam municipia, ut vacuum illud & minime frequens & populosum Tibur, & molle illud & imbelle Tarentum, & alia humiliora loca studijs meis apta & accommodata. Quæ cum ita sint, etjam atq; etjam peto à te, ô Mæcenas, ut priori vitæ, priori libertati me potius restituas tua tibi recipiens, quàm, ut hac senili ætate gravi servitute premar. Cujus rei exemplum habebis L. Philippum eximium oratorem post Crassum & Antonium, qui Mænam quendam, quem ad vitam rusticam & laboriosam ex urbanâ & otiosâ traduxerat, tædio & senio confectum priori vitæ restituit. Lucius enim, quem dixi, Philippus orator strenuus & robustus, validus & animosus, & advocatus excellens, inq; caussis agendis clarus, dum quondam è curiâ ab officijs & caussis dicendis absolutis è foro circiter horam diei octavam domum redit, & Carinas, (in qua Romanæ urbis regione Philippus hic, ut & M. Cicero, & Pompejus Magnus, habitabat) à foro nimiò loci intervallo distare jam natu grandior conqueritur, cum ipsis senibus longiùs ire gravius sit; ille Philippus, ut de illo memorant, ad tonstrinam quandam respirandi gratia aliquandiu subsistit, & ibi in vacua tonsoris umbra atq; officina derasum quendam, & jam detonsum hominem conspexit, cultellos proprios ungues leviter sibi præscindentem, & cautè admutilantem & purgantem. Quam ubi conspexit, Demetrio cuidam sequenti, qui puer & minister alias non læve aut negligenter atq; oscitanter, sed graviter jussa domini accipiebat, & exsequebatur, imperat, & inquit: Heus Demetri, abi & quære de illo homine, & quæ audieris ad me refer: Unde nimirum domo sit; quis sit, & quod illi nomen; cujus fortunæ & conditionis sit, dives an pauper, & quo deniq; patrono utatur, & sub cujus clientelâ vivat. Demetrius servus hominem adit, de omnibus illum interrogat, ab illo è tonstrina ad dominum redit, & quæ ab illo audierat domino suo narrat, nimirum illum nomine appellari Vultejam Mænam, & præconem esse in re familiari censu tenui, ab omnibus à vitæ integritate satis notum esse; quod sit sine crimine aut infamiâ, illumq; suo loco, & properare & cessare, suo opportuno tempore opus agere & rursus feriari, nec sordidum aut avarum esse sed res quamvis tenues quærere, & quæsitis rebus liberaliter uti, non magnificas clientelas ambientem, sed parvis ac mediocribus sodalibus, & proprio ac privato lare, & certo domo sub nullo patrono gaudentem & post expedita & decisa præconis negotia securam lætam, & tranquillam

vitam agentem, & ludis *circensibus, gladiatorijs & theatralibus, & Campo Martio, ejusq; varijs exercitijs pro animi libitu delectantem, & sub nullius arbitrio liberrimè suiq; juris viventem.* Cui *Philippus,* ex *illo* ipso *Menâ, quæ mihi narras, inquit,* sciscitari liber; *quare abi &* dic *ad me* ad cænam *ut* veniat. *Puer ille ocyus illum ex heri sui mandato invitat. Ibi vero* Menas *homo plebejus* sanè non credebat *se serio ab ignoto hero, & tanto viro ac patrono ad cænam vocari, sed* tacitus secum mirabatur, *quid tanti viri tam ultronea & benevola invitatio sibi vellet, & ob id modestè respondet, seq; excusat, venturumq; negat. Quæ cum Demetrius hero refert, & inquit, ô here,* Quid multis *te detineo?* benignè respondet, *seq; excusat, quod venire non possit, forte quod se non serio invitari credat: Philippus indignabundus:* Itane *vero, inquit,* ille negat *se in cænâ* mihi *adfuturum? Sic est, respondet servus,* improbus *ille pertinaciter se venturum* neg*a*t, & *te vel* negligit *& contemnit,* aut *saltem te reformidat &* horret, *& præ verecundiâ venire non audet. Proximè sequenti die* Philippus *orator* Vultejum *Menam tanquam præconem* vilia scruta, *vetera ferramenta, vasa dimidiata, vestes obsitas* tunicato popello, *& vili plebeculæ ob paupertatem tunicis, non togis* utentem, *ex improviso vendentem* occupat, & *quamvis dominus & patronus futurum clientem salutando præveniens* prior salvere jubet. *Ob quam rem* ille *Mena sese Philippo* excusabat, *suumq;* laborem, *in quo tanquam præco occupatus esset* & mercenarias *& præconias quasi occupationes, quæ tanquam* vincula *ipsum detinuissent, prætendebat,* quod *pro clientum more* matutino *tempore* domum *suam tanquam patroni* non venisset, *illumq; salutasset, inq; forum officij gratia cum reliquis clientibus deduxisset,* deniq; quod eum *prius* non vidisset, *& salutasset, orat se excusatum ut habeat.* Cui *Philippus;* sic, *inquit, veniam tibi dabo, & hâc lege & conditione* me tibi ignovisse putabis, si hodie mecum cænas. *Hanc ille conditionem acceptavit, & inquit. In illam conditionem consentio,* ut *tibi* jubet. Ergo, *inquit Philippus* post *horam* nonam *domum meam* venies. Nunc *in* rem *tuam* abi, *& opes facultatesq; tuas fortiter atq;* strenuiter adauge. *Serâ vesperâ* cum *jam* ad cænam perventum est, *Vultejus vino largius epoto hilarior factus, &, ut fit in libero convivio apud eum, qui nobis suspectus non est, quidquid in buccam venit rudis & rerum imperitus quæ* dicenda, & tacenda *erant* prolocutus, tandem *domum suam* dormitum *ire* dimittitur. *Qui Vultejus Mena dum* huc, *ad ædes*

Philippi

Philippi oratoris tanquam piscis ad occultum hamum sæpe visus est decurrere; tandem se inescari à Philippo patitur, & ex homine liberrimo fit cliens patroni Philippi, cumq; patronum suum mane more solito accedit, salutat, in forum deducit; & vesperi in rectâ cænâ una cum reliquis clientibus patroni sui certus conviva est, & ad alterius arbitrium vivit, & patrono suo Philippo in rura suburbana comes ire jubetur, illis temporibus cum Latinæ feriæ, quibus Romæ nihil agere licebat indictæ essent. Qui ubi mannis equis pusillis & in delicijs habitis esset impositus, in insolitis delitijs clientum adulatorum more in patroni sui gratiam omnia prædicat & arvum & cælum Sabinum, in quo Philippus suburbana prædia habebat, laudare non cesset. Quæ omnia animadvertens Philippus, hominem stultum, jamq; plane inescatum à se, suiq; arbitrij factum videt, & ridet. Et dum sibi ibi aliquem locum tanquam requiem, in quo tanquam in secessu apud Voltejum Mænam jam jam rusticum futurum animi gratiâ interdum excurreret, & requiesceret; & dum sibi undiq; ludum jocumq; quærit, dum illum pecunia sua adjuvat, illiq; septem H. S. donat, septem alia H. S. mutua ipsi promittit, ipsi suadet & persuadet ut sibi agellum quendam, dum illa rusticana prædia tanto opere sibi arrideant, emat & mercetur: Et ne te longis sermonum ambagibus ultra quàm satis est, remorer atq; detineam, ô Mæcenas, ex homine libero fit servus, ex nitido & urbano fit rusticus, & urbis, omniumq; quæ in urbe, obliviscitur; nec amplius tanquam præco res venales in urbe, sed ruri agriculturam, aratra, tauros sulcos crepat & mera vineta spirat & loquitur, & studijs curisq; rei rusticæ quasi immoritur, vitamq; suam impendit, & habendi inexplebili amore atq; desiderio senescit & consumitur, & cupiditate atq; avaritia maceratur, & pæne contabescit. Atq; hactenus omnia ex animi sententiâ Voltejo succedunt. Verum ubi fortuna jam mutari incipit, rerumq; suarum damna ac detrimenta animadvertit, & oves illi furto, capellæ morbo perierunt, & seges quæ dominum suum Voltejum de maximo anni proventu sperare jusserat spem mentita & frustrata fefellit: ibi vero Voltejus qui antea temeraria imprudentiâ ex præcone urbano agricola factus erat, eâdem inconsideratâ temeritate vitam rusticam, ejus vitæ damnis offensus, rursus deserit, & vel de media nocte caballum sibi à Philippo datum arripit, & furioso impetu ad urbem contendit, & ob agriculturæ damna, tædia, ærumnas, & labores iratus ad Philippi patroni sui ædes contendit.

Quem simul atq; Philippus *horridum, squalidum,* scabrum, *incomtum, impexum,* intonsumq; *ex urbano & nitido factum* aspexit: Durus *profecto* nimis, Vultei, *& laboriosus, nimiumq; ad rem familiarem* attentus, inquit, mihi videris. *Quæ enim hæc tam subita corporis, vultus, & habitus immutatio? At ille, ô* patrone exclamat, *adepol tu* si verum nomen mihi dare velles, *& apponere* me *non durum & attentum, sed* miserum *atq; calamitosum* appellares. Quod te per Genium *naturæ Deum, per tuam* dextram & *genua tua, per* Deos penates *domesticos, oro,* obsecro & obtestor, *ubi tua Sestertia, & reliqua quæ tua apud me sunt recipias,* me priori *libertati, priori* vitæ *securæ atq; tranquillæ pristinæq; conditioni* restitue, *meq; ex hisce malis, ærumnis & calamitatibus eripe.* Qui *Philippus* simul *æquitatem petitionis Voltei clientis sui* aspexit, *& postquam secum reputavit, quàm difficile sit vitæ institutum mutare, & illud moliri cui à teneris adsuefactus non sis* quantumq; dimissa *& relicta in urbe* præstent *illis rure petitis & quæsitis, & quanto melior fuerit urbana prior vita Voltei libera, tranquilla, & secura, quam posterior rusticana servilis, & ærumnosa : petitioni ejus locum relinquit, jubet ut* maturè *deserta agricultura ad urbem* redeat *& prius vitæ genus, & pristinam præconis conditionem,* & relicta *studia* repetat, *& damno accepto posthac melius sapere discat.* Verum *enim & justum, atq; æquum* est, *unumquemq;* suo se modulo ac pede metiri, unumquemq; *secum domi suæ habitare, & illud vitæ institutum, cui quis accommodatus sit, exercere neq; ultra virium suarum facultatem vel imparem vel indecedentem provinciam suscipere. Quare me etjam æquum est, ô Mæcenas, cum parvus sim illis magnis apud te manus non admoliri, sed in mediocri & tenui vitæ conditione vitam liberam, securam, tranquillam & quietam agere, & exercere. Vale.*

EPISTOLA VIII.

S*Anctissima Jovis & Mnemosynes filia* Musa, *sine cujus divino numine & instinctu nullum plenum & perfectum carmen condi potest, age tu à me rogata* & *invocata propitia mihi es, ô* Celso Albinovano comiti *amico atq;* scribæ *ærarij cohortis Claudij Tiberij* Neronis *Augusti Cæsaris privigno, amico meo, qui literis suis prius me compellavit, salutem* refer, *illiq;* gaudere, & bene *agere, feliciterq;* rem

gerere

gerere responde ac salutis loco renuncia; si autem ex te quærat, ô Musa, quid agam, & quid rerum geram, quid'ue in studijs hactenus occuper, dic me more vanorum & ventosorum hominum multa pulchra splendida & præclara, non sine jactantiâ & ostentatione minantem, præq; me ferentem, & nihil non alijs pollicentem: Interea non rectè ex animi sententiâ vivere, nec suaviter, sed quasi cum vitæ tædio; idq; haud illam ob causam, quòd rei familiaris damna perpessus sim, quia grando segetibus meis fractis calamitatē intulerit, aut vites meas fregerit aut contuderit; vel quia æstus oleam meam nimio calore, uredine & siccitate momorderit, & exusserit, corruperitq;, unde contabuerint & inaruerint, nec quod in longinquis longeq; dissitis agris armentum meum morbo aliquo correptum ægrotet & moriatur; sed hujus animi ægritudinis causa est, non corporis languor sed animi affectio vitiosa, quia mente minus validus & firmus existens, quam toto reliquo corpore, nil velim audire, nihil discere quod animi morbum imminuet, meq; ægrotantem sublevare possit, & fidelibus meis ac salutaribus amicis, tanquam medicis, consilio & alloquio salutari hujus mali remedium mihi exhibituris irascar & offendar; propterea quod illi hunc meum animi morbum à me arcere & propulsare magno studio properent. Nimirum quo animi morbo ego tanquam veterno aut lethargo inexpugnabili dormiendi necessitate correptus, & vitijs quasi obrutus & sepultus perpetuo dormio, nunquam ad virtutem & sapientiam evigilo aut oculos attollo, omnia salutaria remedia respuo, & ex malitiosa miseria illa sequar, quæ nocuere, & quæ damnosa mihi esse scio: Contra autem illa fugiam, quæ mihi profutura credam imo sciam, atq; prorsus homo sim incurabilis & animi pœne deplorati, & deniq; ex perversâ inconstantiâ & animi mutabilitate, cum Romæ sum Tibur amem aut rus optem, cum autem Tibure aut rure sum absentem urbem Romam ad cœlum usq; laudibus attollam, tanquam homo ventosus inconstans, mobilis, & incertus. Posthæc, ô Musa, postquam illi de meis rebus meaq; perversa, & in felici conditione renunciasti, ex illo Celso Albinovano percunctare, ut valeat, quæ ejus sit valetudo, quo in loco fortunæ ejus sint, quo pacto rem & negotia sua gerat, atq; adeo quo pacto se ipsum in omnibus & singulis negotijs gerat, rectè an secus: Deniq; ut juveni Claudio Tiberio Neroni imperatori, & quomodo cohorti placeat, & in qua gratia sit apud Neronem, inq; toto exercitu. Quod si tibi tunc respondet & dicit, in omnibus sese rectè habere, tunc tu, ô Musa, primò

omnium memento *ejus nomine* gaudere, *eiq; de illâ felicitate gratulari:* deinde hoc *salutare* præceptum auriculis *ejus* instillare, *leviterq; in animum infundere, ne, si per omnia rectè agat, more hominum ob id insolescat, illiq; meo nomine dicas, eodem modo nos amici erga te affecti erimus,* ut tu *erga* fortunam, *& ut illam tu,* sic nos te feremus, *si illam rectè tuleris, & nos te feremus rectè, sin insolenter ut ob fortunã nos fastidiosè spernas & contemnas, nos invicem te insolenter & fastidiose spernemus, adeoq; si fortuna rerumq; successus te immutabit, nos etiam in amicitia erga te immutabimur, tuæq; amicitiæ nuntium remittemus. Vale.*

EPISTOLA IX.

LVcius Septimius *eques Romanus amicus & necessarius meus, ut mihi videtur,* unus *& solus cognoscit, quanta inter te & me amicitia sit, Cai Tiberij Nero,* & nimirum intelligit, quanti me facias, *quàm carum me habeas, & quo in loco & amicitia, qua gratia, dignitate & existimatione sim apud te, cum tanta contentione efflagitet, se tibi ut commendet.* Nam dum *importunus apud me instat, meq; rogat & obsecrare non desinit,* & *suis adeo* precibus me cògit, ut se scilicet *ego* tibi *tanquam virum probum* laudare & *probare, inq; amicitiam* coner tradere *& insinuare virum profecto bonum, & dignum tuâ amicitia, atq; adeo interiori familiaritate, tuo animo, &* mente, & *deniq;* domo, *contubernio, convictu & honesto adeo loco in familia* Neronis, *qui non nisi* honesta, *non nisi viros probos in amicitiam suam & familiaritatem recipit, & amicos, quod dici solet, priùs deligit quàm diligit, &* cum *deniq; existimat me apud te, quàm alij familiariorem esse, &* censet me propioris *cujusdam & intimioris* amici munere *& officio apud te* fungi, *plus profectò de me sibi persuasum habet me apud te posse & valere, quàm ego mihi; &* quid *ego apud te* possim *illud longè validiùs, longè rectiùs & meliùs* videt & novit me ipso, *& plura fortasse apud te mihi tribuat, & majora sibi de me promittit, quàm ego inesse credam, cum mihi de te sperare queam.* *Nec fallaci utitur ratione, cum nemo potentiori amico aliquem commendet, nisi qui gratiâ apud ipsum valeat, sitq; illi quasi familiaris & intimus.* Excusavi equidem *me apud ipsum verbis quibus potui multis & copiosis, causasq; attuli quibus hoc commendandi munus mihi ad eo impositum, declinarem, &* multa dixi *Septimio meo,* cur *apud*

ipsum

ipsum excusatus abirem & absolverer, sed timui ne me nimium excusando mea apud te minora finxisse quam sint, meamq; apud te gratiam extenuare crederer & putarer, quod non amici sinceri, sed dissimulatoris esset; meq; nolle, quâ me gratiâ & benivolentiâ amplecteris illi ostendere, & ob id vituperabilis esse, qui propriæ opis, potentiæ, & gratiæ dissimulator essem, nolim alteri prodesse, nolim amicum participem esse meæ cum te amicitiæ, mihi uni studens & commodus, qui in tuâ amicitiâ meam solius utilitatem, sine reliquorum amicorum curâ, spectarem. Sic nimirum factum est ut majoris culpæ opprobria, ut invidiæ & dissimulationis, animiq; in officio tribuendo maligni crimina effugiens, ad minorem, ut spero, culpam descenderem, nimirum ad præmia & dona urbanæ frontis & perfrictioris oris impudentiam, ad fructum minus verecundæ commendationis, ut scilicet hâc meâ satis audaci commendatione, impudentiæ præmia impetrarem, & hunc Septimium meliori notâ tibi commendatum in amicitiam tuam insinuarem. Quod si ob hanc meam impudentiam, quâ tibi satis importunè Septimium commendo, me non vituperas, sed laudas potius, & approbas pudorem meum ob amici improbas preces & pœnè jussa è fronte meâ excussum esse, & depositum, in hoc ipso quod audacius ad te scripserim, frontemq; meam perficaverim: age adscribe hunc Septimium tui gregis numero, tuorumq; amicorũ albo & contubernio ipsum annumera, tibiq; de meliori nota commendatum habe, ipsumq; crede ac tibi persuade virum esse non levem aut mollem, sed omnium laborum patientem, ad omnia pericula subeunda promtum & paratum, adeoq; fortem ac bonum, tuâq; amicitiâ dignum. Vale.

EPISTOLA X.

QVintus Horatius Flaccus ruris amator Fuscum Aristium amicum & familiarem meum urbis amatorem salvare jubeo. In hâc scilicet unâ re, quòd ego rure, tu urbe delecteris, inter nos multùm sumus dissimiles, At verò quo ad cætera, adeo sumus inter nos studijs & moribus similes, voluntatibusq; inter nos pares, animis concordibus & fraternis, ut pœne gemelli videri possimus, qui uno tempore concepti ijsdem parentibus orti, eodem tempore nati, ijsdem studijs & voluntatibus maxime ducuntur, quicquid enim alter negat, illud & alter recusat, quicquid unus probat, alter probat, & in hoc pariter agimus

& æqualiter similiterque nos gerimus cum columbis ac turturibus veteranis & inter se notis, quorum amor & concordia satis nota est, in hoc quod eadem annuimus & improbamus. At uno hoc, quod dixi, inter nos distamus, quod tu urbem Romanam servas, teque domi tuæ in urbe Roma inclusum tenes, illamque urbem tanquam columbus nidum inhabitas: ego contra amœni ruris amplitudine delector, & jucundi campi rivos & fontes, & saxa fontium musco obducta & involuta; & nemus atque silvas, amœnasque ruris arbores laudo, & tibi præfero. Quid quæris? quidve multis verbis te detineo? ego simulatque urbem vitamque urbanam pompam & strepitum popularem, & reliqua quæ vos ad cœlum usque laudibus effertis atque attollitis, idque secundo populi rumore, & magno ejusdem plausu ac acclamatione & universæ plebis suffragio consentiente, reliqui & deserui; qui ante in urbe mortuus fui jam vivo, imò regno, & quovis rege beatiorem me deputo, dum vitam securam & tranquillam ab omni ambitione & avaritiâ alienam duco, illasque delitias urbanas jam ex satietate cum fastidio recuso. planè ut sacerdotis cujusdam fugitivus servus, qui ex delitiarum satietate dominum deserit, & liba melliaque placentas non sine fastidio recusat. Nimirum pane egeo, panem tantum desidero ut naturæ satis faciam, & tenuem simplicemque victum cum summo ocio animique tranquillitate, qui panis simplexque victus jam omnibus libis, mellitisque placentis potior mihi & dulcior est. Quibus laudum encomiis aliquis vitam rusticam satis prædicare possit, & quæ unquam urbanæ delitiæ, quantumvis exquisitissimæ cum hâc conferri possint? Sanè si homo in mundum introductus est ut juxta naturam optimam vivendi ducem rectè vivat, & si unumquemque hominem ipsi naturæ convenienter oportet vivere, & si juxta vetustissimorum patrum præcepta, qui agriculturâ impensè delectati sunt, omnium primò area quædam quærenda est ponendæ & ædificandæ alicui domo, & postea demum conjux ducenda, & bos arator alendus est: age novistine aliquem locum, hisce, quas dixi, rebus, vel potiorem vel commodiorem, quàm rus beatum; & omnium rerum copiâ abundans: & estne aliquis locus in mundo ubi hyeme major frigoris, & æstate major caloris moderatio sit, & temperies quàm ruri? Ubi hyemes plus tepeant & ob id minus frigidæ & ingratæ sint, & ubi contra æstatis tempore gratior aura & refrigerans ventus diebus canicularibus caniculæ rabiem & intolerabilem æstum atque calorem temperet & tempora atque momenta, quibus sol circiter Idus Quintileis leonis signum transit, calidissima, leniat

& ma-

& moderetur, cum canis in cælo aut leo nimio calore furibundus & rabiosus solem vicinum factum calori suo acutum & vehementem accepit, æstusq; maximos concitat? Estne verò alter in mundo locus ubi cura & sollicitudo, quæ quietem & soporem hominibus quasi invidet, somnum minus depellat, aut magis quietam hominibus indulgeat requiem? Quid alia memorem? Vel ipsum solum, quod rusticus pariter & urbanus pedibus calcamus, consideremus & videbimus utra vita præferenda sit. Age enim rustici an urbani major hic amœnitas? Deteriusne enim olet, minusne gratum naribus odorem afflat, & an deterius minusve nitet herba, quam nos rustici pedibus calcamus, quàm lapilli Libyci, aut marmor è Numidiâ advectum, ex quo nobilium Romanorum ædium pavimenta constrata sunt? Nimirum tanta herbarum ac florum amœnitas atq; suavitas, ut nullum marmor, nullæ urbanæ structuræ, cum illo conferri possint. Deniq; ut alia innumera silentio prætereâm de fontibus atq; rivis age mihi considera in urbe an ruri illi amœniores? nunquid purior & splendidior illa aqua est, quæ Romæ in vicis è tubis & canalibus plumbeis erumpit, tantoq; impetu descendit, tantâq; defertur copiâ, ut plumbum pœne rumpere nitatur & contendat: quàm quæ naturaliter per pronum aliquem & declivum rivum cum leni strepitu, murmure, & susurro trepidat ac delabitur. Atq; adeo, ut plane perspicias, longè suavius & optabilius esse rure, quàm in urbe vivere vel ipsa natura hos ipsos divites in urbe viventes fateri cogit, ipsamq; veritatem ab invitus pectoribus exterquet, quando fateri coguntur sese agris atq; rure nullâ ratione indigere posse. Nempe ipsis divitibus inter varias & versicolores marmoreas columnas magnâ arborum copiâ atq; adeo sylva colitur, ipsiq; Romani nobiles in urbe rusticos agunt, longè melius rure id facturi ubi arborum aliarumq;, quibus delectantur, maxima copia, deinde in urbe Roma illa domus laudatur propter singularem loci situm, qui longinquos agros prospicit, & unde longè diffusi campi & nemora videri possint. Sic est, ut vel maximè ipsi naturæ vim inferas & quæ ab arte in urbe sunt, illis quæ rure natura producuntur velis anteferre, adeoq; ipsam naturam furcâ, quod dici solet, ignominiosè ejicias & expellas: tamen illa recurrit, seq; præsentem sistit, & vel invitos fateri cogit rem aliter sese habere, & tanquam rerum humanarum domina vel victrix mala hominum fastidia furtim perrumpet, & vitiosam luxuriem, rerumq; parabilium fastidiosum contemtum clanculum denuò & latenter vincit & superat. Magna vero turpitudo est homines in rebus vilibus & externis nimis

quam oculatos esse, in Indagandâ veritate & summo hominis bono inquirendo cæcutire. Profecto qui tanquam homo callidus & ingeniosus inter vestem verâ purpurâ & fucatâ pictam nequit internoscere. & qui nescit quòd lanæ atq; vellera quæ fucatum & non genuinum purpuræ colorem, qui prope Aquinum Italiæ opidum provenit purpuram imitantem, cum Sidonio ostro, cum Tyrio Puniciog; colore contendere nescit & certare, & ita propè ad veram purpuram accedere, ut difficile sit internoscere; Et qui deniq; fucatum purpureum colorem pro vero emit; Ille, inquam, ut parum ingeniosus & solers hâc suâ imprudentiâ certius damnum non accipiet, quodq; ipsis medullis propius sit, propiusq; ad ipsum accedat & pertingat: quam qui bonum à malo, verum à falso non potest distinguere, & videre vitam rusticam vitæ urbanæ multis nominibus esse præferendam? quid enim aliud vita urbana, quàm avaritiæ & ambitionis perpetuum gymnasium, ubi variæ mutationes hominum animos variè afficiunt & perturbant, ubi alius divitijs, alius inopiâ laborat, ubi alium propriæ divitiæ, alium alienæ malè habent? Quid autem hisce talibus miserius cogitari potest, ubi brevi temporis momento qui in summis honoribus, amplissimis divitijs constituti erant opum & existimationis pericula adeunt, & ob id graviter perturbantur. Quem enim secundæ res plus nimio delectaverunt, illum eundem eædem res mutatæ & conversæ concutient & perturbabunt. Deinde si quid in urbe magni facies, inq; magno precio habebis & demiraberis; illud nolens atq; invitus amittes rursus, & depones, ejusq; amissione summopere dolebis, animoq; tranquillo in urbe esse non poteris. Quocirca, ô Fusce, si me audis summas opes, amplissimos honores, & magna deniq; atq; urbana fuge. Nam vel sub paupere tecto & vita victuq; privato atq; tenui ipsos reges, regumq; amicos, & imperij proceres vitâ præcurrere & securè hilariterq; vivendo vincere & superare licet. Ferè autem fieri solet, ut qui tenuitate frugalis victus, & mediocris vitæ status offensi ad magnos honores summas divitias contendunt, è parvis in magnas sollicitudines & calamitates, &, quod dici solet, è fumo in flammam incidant. Quod si splendorem illum urbanum magnorum virorum consuetudines, opes & honores tantopere admirabimur, idem nobis eveniet quod equo illi, qui cum cervo dimicabat. Nam quemadmodum Stesichori apologus habet, equus quondam pratum solus obtinebat: eo venit cervus, pratumq; unà depascitur, cumq; equo de illo prato contendit, & in pugnâ melior validiorq; equum suis cornibus è communibus herbis, è communi uniq; prato

prato depellebat: donec tandem equus in longo certamine minor atq; imbecillior, pratoq; expulsus & victus sese ulcisci cupiens auxilia opesque hominis imploravit, orans sibi ut subveniat, injuriamq; cervi sibi illatam propulset. Cui homo respondit fieri posse ut cervum ulcisceretur modo ephippium subire, & frænum in ore tolerare, hominemq; dorso ferre velit, ut ita ex illo in cervum pugnare poßit. Equus parum cautus & circumspectus conditionem acceptavit, ephippium subijt, frænumq; oro suo recepit, & hominem dorso portavit, cervumq; ope hominis superavit, èque communi prato depulsit. Sed ipsi victori equo, quàm victo cervo longè post victoriam, pejus fuit. Nam postquam victor equus ab hoste cervo victo & superato violens, superbus, victoriâ elatus, ferox & indomitus discessit, pro illo beneficio ab homine sibi dato libertatem suam vendidit, hominisq; servus perpetuò mansit, nec unquam postea vel equitem dorso excußit, vel frænum ore depulit. Sic etjam qui pauperiem & victum tenuem ac frugalem veritus, pecuniæ opibusq; coacervandis inservit illâ aureâ libertate, quæ omni ære, omni argento & auro potior est, quamq; nemo bonus, nisi cum vitâ amittit, caret, & quemadmodum equus equitem, sic aliquem dominum tanquam jumentum dorso vehet, & quia parvo uti nesciet, inq; mediocris vitæ conditione vivere, æternùm serviet, idq; infinitis dominis, non enim uni servit, quisq; pecuniæ inserviet. Satius ergo est sua condicione, & parvo quemq; contentum vivere. Nam cui res sua non conveniet, quiq; plus minusve habeat, quàm satis est, ille nunquam bonis suis rectè perfruetur. nam ut olim calceus, si pede major erit, euntem subvertit, & deijcit, si minor erit euntem uret, constringet, nimiùq; coangustando premet: ita etjàm qui plus quam sat est divitiarum habet, ille de statu suo deturbatur; qui autem opinione sua minus habet, quam satis est, illum inopia, uti vocant, malè habet, & adfligit. Quare tu, ô Aristi, tuâ sorte, fortuna, & condicione si lætus & contentus eris, sapienter bene beateq; vives. Quantum ad me attinet ita vivere mihi certum est, tuq; adeo rem gratißimam mihi facies, si me severiter reprehendas & redarguas, & nulla ratione incastigatum à te dimittas, ubi plura quàm satis est cogere tibi videbor & accumulare, & ut avari in coacervanda pecunia nunquam cessare, sed opum desiderium in infinitum videbor extendere. Nam ut breviter atq; verè quæ sentio dicam unusquisq; divitiarum congestarum vel dominus vel servus est. & pecunia collecta uni cuiq; domino suo aut imperat, ut avaro & luxurioso, aut

servit, ut liberali. *At quæ tamen pecunia* digna *professo est, qua tortum funem* sequi potius *debeat,* quàm ducere, *qua à possessore potius trahi debeat, quam ut eundem trahat, quæq; dominum suum sequi non ducere debet, & eidem servire, non imperare.* Atq; hæc *sunt, amicissime Aristi, quæ de libertate & tranquillitate vitæ rusticæ, deq; servitute & sollicitudine urbanorum hominum puero meo* dictabam, *ut ab eo excepta & scripta* tibi *mitterem* post fanum Vacunæ Deæ vetustate corruptum & consumptum : *equidem quo ad* cætera *omnia* lætus atq; *hilaris,* excepto *illo uno,* quòd *te mihi carendum foret, tuq; unà & mecum* simul non esses ? *Vale.*

EPISTOLA XI.

Voniam patriæ fastidio, & vitæ in urbe Romanâ tædiò peregrinas terras, tanquam ibi animo tranquilliori & magis beato posses vivere, adijsti, jamq; fermè ut audio, totam Græciam perlustrasti, Bullati, *age qualis Græcia* tibi visa *est,* quidnam Chios, *insula maris Jonij.* & Lesbos *insula non longè à Troade ob Alcæum & Sappho Lyricam satis* nota *& nobilis.* Quid *vicina amæna &* concinna, *pulcriq; ædificijs descripta* Samus; Quid Sardis *opidum Lydiæ,* Cræsi *Halyattis filij, Lydorum regis quondam ditissimi, florentissima* regio, Quid *deniq;* Smirna *Joniæ in minori Asia civitas, Homeri patria,* & Colophon *ejusdem Joniæ urbs Apollinis oraculo quondam clarissima, quidnam, inquam, illæ tibi visæ, quidnam de illis censes, quæ & quales illæ tibi apparent, Et suntnè hæc* majora, an *verò* minora , *quàm communis hominum* fama *de illis perhibet?* *Et nunquid horum tantopere tibi arridet, ut ob id patriæ tuæ valedicendum censeas : an verò omnia hæc &* cuncta *tibi* sordent, *tibi vilia & inculta videntur,* præ Campo *Martio, ejusq; jucundissimis exercitijs,* & *vicino ejus* flumine Tiberino, *& urbe deniq; Romanâ cultiss. & amœnissimâ?* *Et si Græcia minus tibi placet :* an non una *quædam* ex Asiaticis urbibus, *quibus Attilus olim rex ditissimus imperavit, tibi in* votum venit, *& expetitur?* An *vero* Lebedum *Joniæ opidum vile & desertum* maris *tædio ,* & viarum , *& itineris molestiarum* odio laudas, *& tibi tanquam in hospitio, quod te jam navigationis, & longi itineris tædeat pigeatq; perpetuò tibi sol sistendum arbitraris :* Ita ut *Roma morumq; omnino oblitus videaris.* B. *Ita est, ô Horati, itineris viarumq;*

molestia

molestia, tædium, atq; odium me jam dudum capit, ut ubivis potius locorum vivere, quam maris periculo, & itineris longi tædia ulterius subire velim. Scis enim tu, ô Horati, quam Lebedus Joniæ civitas vicus sit obscurus jam & ignobilis, & vel ipsis Gabijs & Fidenis Sabinorum civitatibus desertissimis desertior, nulliq; prope hominibus frequentatus; tamen mallem illic vivere, quam ulterius itineris molestias in me suscipere, ibiq; meæ patriæ, meorumq; amicorum oblitus, & vicissim ab illis obliviscendus è terrâ mare tumu tuosum, & Neptunum horribilem, & tempestatibus furentem procul prospectare, quàm ipsi mari propiùs in navi ulteriùs degere, maris q; tempestates, & pericula experiri. H. Atqui Bullati alienum ab affectu viri prudentis & cordati, in medio itinere subsistere & hospitium, atq; diversorium pro domo sibi, & habitatione eligere. Quod si ob itineris molestiam in aliquo potius diversorio vivere, quàm ulterius viarum tædia subire cuperes; idem profectò facis, quòd viator faceret, qui in via tempestate impeditus in tabernâ meritoriâ perpetuò consistere cuperet. Sed neq; viator quisquam, qui Capua Romam petit, imbre, & luto aspersus, nebulaq; affectus, in taberna meritoria vel cauponâ, in qua se aliquandiu refecit, & collegit, perpetuo consistere, & manere velet. Nec qui biemis tempore frigus collegit, & contraxit, furnos, clibanum, vel focum, ad quem se calefecit, aut balnea, in quibus totum corpus calidâ refocillavit, perpetuo laudat, tanquam quæ vitam felicem & fortunatam plene præstent, summumq; bonum efficiant, & conservent. Sic eodem modo si in tuo itinere varia tædia, variaq; molestias subieris, in medio itinere debes subsistere, & institutum iter abrumpere: Nec si validus ac turbulentus ventus auster te in alto mari jactaverit, variisq; tempestatibus te exercuerit, idcirco navim trans Aegæum mare vendere, tibiq; illâ ratione omnem in patriam reditum debes abscindere, nec de Româ, tuisq; amicis repetendis amplius cogitare? Verum enim verò hic mihi objicies quod in Græciâ longè melius tranquilliusq;, quam Romæ victurus sis. Crede mihi, ô Bullati, viro gravi atq; Sapienti ad benè beateq; vivendum omnis peregrinatio, aut locorum varietas plane inutilis & supervacua est, qui quovis tempore, & ubiq; locorum ex animi sententiâ securè atq; tranquillè potest vivere. Etenim amæna insula Rhodus & Mitilena pulcra, & Smyrna omnisq; locus, quem quis peregrinando possit petere, & deniq; omnis peregrinatio, hoc facit animo incolumi, hoc præstat viro prudenti animoq; valenti & præstanti, quod penula vestis

qua

quæ supra tunicam ad arcendum frigus indui solet, mediâ æstate vel solstitio, quo nullum frigus est, quod campestre tenue subligaculum (quâ veste tenui, qui in campo Martio se exercent obscœna corporis obtegunt) præstare potest auris nivalibus, ventisq; hyemali tempore frigidis: quod Tiberis & natatio per Tiberim per brumam hyemali tempore, quo aqua frigida nudis corporibus noxia est, prodest, & deniq; quod caminus vel fornax ad conclave calefaciendum Augusto mense æstate fere media potest prodesse. Profecto ut pænula vestis æstate supervacua, campestre subligaculum hyeme parum aptum, & natare in Tiberi hyemali tempore parum conveniens, & deniq; caminus Sextili mense inutilis, ita nec sapienti ad vitam tranquillam locus aut peregrinatio aliquid confert, sed plane inutilis est & supervacanea. Quare nisi extrema necessitas & temporum iniquitas te inde è patriâ tuâ auferat Romæ mane, dumq; per fortunam licet, dumq; fortuna tibi æqua est, & benignum vultum servat noli peregrinari, neq; te Roma commoveto; & lauda quidem Samum & Chium & Rhodum, sed Romæ illud facias & ab illis absens, non autem præsens, ita ut ad illas insulas proficiscaris. Quamcunq; enim tranquillitatem ibi quæsieris Romæ invenire poteris. Quod ut facere possis, æquum animum in omnibus rebus tibi comparare, stude, & quamcunq; horam DEVS tibi fortunaverit, quodcumq; tempus lætum tibi reddiderit, tibiq; clementer indulserit, illud gratâ manu absume, illo lubenti & æquo animo acquiesce, inq; voluptatibus & gaudijs transigere stude, nec voluptatis & quæcunq; in vitâ mortalium dulcia & jucunda sunt in annum & futurum tempus differ, sed illo quoties datur utere, inq; tempore id occupa, ut in quocunq; loco fueris, quâcunq; terrarum parte vixeris, te lætum ac lubentem vixisse dicas, cum non locus ubi quis vivat, sed animus viventis vitam beatam efficiat. quorsum igitur peregrinatione & locorum mutatione opus? Nam si virorum sapientum præcepta, si ratio, consilium, & prudentia morbos animi, curas, religiones, & perturbationes aufert, non autem locus aliquis amœnus mari propinquus & imminens, qui quasi arbiter contemplator & prospector sit maris longè lateq; effusi: certè omnis peregrinatio quæ ob animi tranquillitatem suscipitur inutilis & supervacanea est, & qui tanquam alijs in locis beatius victuri trans mare currunt & peregrinantur, illi mutant cælum & terrarum regiones, non autem ipsum animum, & secum peregrinantur, suosq; pravos affectus comites secum ducunt, quo nomine peregrinatio parum ipsis prodest. Certè nos dum pere-

grinatio-

grinatione animi morbos volumus excutere strenua inertia, magna stultitia, gravis insipientia, & validus stupor vexat & exagitat. Nos enim mare & terras peragramus & loca externa indagamus, ubi benè ac beatè vivere possimus & felicem atq; fortunatam vitam navibus pariter atque quadrigis, mari & terrâ appetimus. At quid illâ peregrinatione opus? nam ubicunq; locorũ eris, illud quod petis, felix & tranquilla vita præsto est, sive hic Romæ, sive in Græcia sis, idq; quovis tempore, quovis loco, quantumvis obscuro & ignobili. Quin etjam Vlubris in vico Campaniæ inope ac deserto vita beata ac tranquilla præsto tibi est, si modo animus æquus, tranquillus & sedatus, nullaq; cupiditate perturbatus, tibi non deest aut deficit. Patria enim est ubicunq; bene est: jam vero viro sapienti qui mundi incola est, & totius orbis terrarum civis, ubiq; bene est, quia ubiq; patria est, & ubiq; patria est, quia ubiq; bene est. Vale.

EPISTOLA XII.

SI tu, Icci, fructibus illis opibusq;, quos ex fundis, pascuis, agris, & vectigalibus M. Vipsanij Agrippæ, cujus coactor & procurator in Sicilia constitutus es, quotannis colligis & accumulas, rectè ac liberaliter perfrueris: Certè non ullâ ratione fieri potest, ut ulla major, largior, & uberior rerum copia tibi à summo Iove,, & reliquis Dijs immortalibus donari possit, & attribui. Tu verò cum tanta agrorum tuorum sit felicitas, tanta ex annuis reditibus frumentorum copia, & adfluentia; paupertatis querelas tolle, & omitte, deq; rerum tuarum tenuitate, quasi nondum satis tibi sit, desine conqueri. Cum enim animus hominis, non arca dives sit appellanda; certe ille pauper non est, cui quantumcunq; superest, satis est, cui rerum usus suppetit, quiq; ad usum rerum humanarum nulla re indiget, sed opibus ipsi naturæ convenientibus & sufficientibus abundè instructus est. Quod si ad hanc felicitatem, quam tu non sine Dei numine atq; munere consecutus es, etjam firma corporis tui valetudo accedat, ita ut ventri, lateri, pedibus, capiti, reliquisq; membris corporis tui bene sit, sine ullo morbo, aut infirmitate: certè huic tuæ felicitati vel regales divitiæ, & Persarum opes nihil majus, melius & excellentius addere poterunt, neq; ulla in re te reddere fortunatiorem. Sin vero contra in istâ summâ rerum omnium copiâ & abundantiâ, parcè tenuiterq; vivis, ita ut à rebus in medio positis abstineas, & herbis,

radicibus, urtica, vilibusq́; olusculis victites, interq́; opes inops vivas; Sic etjam protinus vives & eodem prorsus modo deinceps, & porro victitabis, ut vel maximè prosperæ fortunæ rivus te totum confestim inauret, licet omnium rerum abundans copia te celeriter ditißimum reddat: tuisq́; rebus nunquam perfruéris, inq́; tantis opibus parcè duriterq́; vitam transiges: Idq́; duabus potißimum de caußis, vel quia avari hominis naturam nulla pecunia quantumvis cumulatißima immutare potest, nulla opum accessio liberaliorem reddere: Vel quia tu cuncta unâ virtute frugalitate & continentia minora esse putas, omniaq́; mediocria te esse posthabenda, nihilq́; sobrietati esse anteponendum: Tantiq́; hanc virtutem facis, ut minimo apparatu contentus sis, nec putes victus elegantiam quidquam ad vitam beatam momenti habere. Quid autem de te tuisq́; studijs dicam, Icci, qui uno eodemq́; tempore rerum diversißimarum, imo contrariarum studio detinearis? Certè demiramur, quotiescunq́; audimus, quod Democritus ob sapientiæ studium rem familiarem neglexit, & quod ob id vicinum alienum pecus agellos Democriti consitos, culta ejus rura, atq́; sata, comedit & consumpsit, dum ejus animus velox, acutus & divinus à corpore quasi peregrè est, & sine corpore cœlum & stellas circumvolitat, inq́; rerum divinarum contemplatione occupatur, atq́; ita dum cælestibus ac divinis intentus est, humana atq́; terrena negligit. Illud verò, si te intueamur demirandum non est, cum tu utrumq́; studium virtutis & sapientiæ & opum acquirendarum tam accuratè exerceas, ut illa studia dubiâ inter se palmâ contendere videantur. Cum nimirum tu inter tantam divitiarum scabiem quæ animum tuum mordet atq́; urit, perpetuáq́; habendi cupiditate afficit, interq́; illa lucri & avaritiæ contagia, quæ latiùs indies funduntur & serpunt, nihil humile aut parvum sapias, & non solum rem domesticam aßiduè augeas & amplifices, sed philosophiæ etjam studijs animum adjungas, & illa adhuc cures, quæ in disciplinis ac scientijs maxima sunt, ardua, sublimia, excelsa & cælestia, quæ tu accuratißimâ mentis indagine perscrutaris, inquiris, & pervestigas. Nam in rerum naturalium contemplatione, ita versaris ut etjam difficillimas in Philosophiâ contemplativâ quæstiones tibi explicandas sumas: verbi gratiâ, quænam causæ sint, quæ ipsum mare terrâ sublimius inhibeant & compescant, quò minùs supra litora effundatur, terrasq́; obruat: quidnam sit quod annum temperet, quod vicißitudines dierum & noctium, æstatis, autumni, hiemis & veris efficiat, ipsiq́; Soli cursum & recursum præstet, omniaq́; anni tempora gubernet & mo-

& moderetur; qui nam motus sit Planetarum stellarumq; fixarum, & an stellæ aliquid divinitatis habeant, & intellectum, quo sua sponte & ultro perpetuos & certos in cælo motus absolvant, an verò jussæ, ad alterius superioris arbitrium & mandatum in cœlo errare atq; vagari videantur, utrum casu, an verò fato cælum moveatur: quæ causa sit varietatis & vicissitudinis lunæ crescentis & decrescentis, quidnam sit, quod obscurum lunæ orbem modo premat, tegat, & abscondat, ireq; aspectum hominum venire non sinat, modo illud rursus proferet, oculisq; hominum non sine admiratione exponat: porro quidnam velit, ob quam causam condita sit, & quidnam etjam possit discors illa rerum mundanarum concordia, concors illa totius mundi, & harmonica discordia, cum totum ex elementis rebus & qualitatibus contrarijs constitutum non sine miraculo inter sese amicè conjurare, & in mundi salutem conspirare videatur: Deniq; an Empedocles qui quatuor elementa, & litem cum amicitiâ omnium rerum principia statuit, an verò Stertinij illius Philosophi Soici acumen & ingeniosa disputatio in assignandis rerum naturalium principijs & causis, erret ac deliret, & utrius horum sententia magis vero consentanea, magis à vero aliena & absurda videatur. Verum hisce missis & relictis sive sapientiæ, sive divitiarum studio occuperis, sive etjam pisceis comedis, & sumptuosè atq; opiparè victitas, seu porrum & cæpe aliaq; vilia oluscula comedendo dentibus tuis comminuis & trucidas, & parcè tenuiterq; vivis, nihil illud moror. Hoc tantum te oro, proq; nostrâ familiaritate etjam atq; etjam à te peto & contendo, Pompejo Grospho ut familiariter, amicè, atq; benivolè utaris; eumq; in familiaritatem tuam recipias, & si quâ in re tuâ ope consilio & auxilio indigebit, & aliquid à te petet, ut non rogatus, sed sponte tuâ ac ultro studia atq; officia tua ipsi deferas. Vtiq; cum vir modestus sit, tuâq; amicitiâ cum primis dignus, qui in Siciliâ patriá suâ causas habet, in quibus nihil te, nisi quidquid verum & æquum est, ipsiq; justitiæ consentaneum, orabit. Atq; ita facili ratione magni viri amicitiam non magno beneficio tibi comparare poteris. Nam ubi aliquid bonis viris deest, tunc amicorum annona vilis est & facile comparabilis, quæ alias magni constat, magno emitur; qui cum aliquâ re indigent facile consilio, auxilio alijsq; quantumvis exiguis beneficijs & officijs nos in illorum familiaritatem insinuare possumus. Nam propter necessitatem amici facile comparantur, qui ex singulari gratitudine qualiacunq; etjam studia & officia remunerare student. Ne tamen ignores, sed certus sis, quo in loco sit,

 status,

status, res, *& fortuna imperij urbisq;* Romanæ, *scias statum hujus imperij florentissimum pariter & felicissimum esse.* *Nam* Cantaber *Hispaniæ populus ferox & indomitus hactenus Marci* Agrippæ *fortitudine superatus manus dedit; Porro Medus, Parthus, Persa,* Armenius virtute *& magnanimitate* Claudij *Tiberij* Neronis, *Augusti imperatoris privigni* cecidit, *& domitus est.* Phraates *vero Parthorum rex leges populi Romani, &* jus imperiumq; *Augusti* Cæsaris *victus & superatus* accepit,*&* *supplex* genibusq; minor, *Augusto* Cæsari *ad genua devolutus captivos & signa, quæ Parthi Marco Crasso ademerant, reddidit, seq; Romanis victoribus ultro submisit, deniq; summa hoc anno annonæ est ubertas, quando* aurea *omnium rerum & exoptata copia ipsi* Italiæ *segetes, vites,* fruges, *omnisq; generis fructus tanquam è* pleno *Herculis* cornu copiosè defundit, *quod ut Poëtæ memorant Acheloo in taurum mutato ab Hercule avulsum, Najades Nymphæ omnium frugum feracissimâ copiâ abundè impleverunt.*

EPISTOLA XIII.

UT *jam ante te hinc ad Cæsarem* proficiscentem sæpe, & diu *multumq; præsens* docui *& admonui,* Canine Vinni *Fronto Asella: sic jam absens per literas te admoneo, libros & volumina carminum meorum, ne à quoquam legantur* obsignata, Augusto *Cæsari* reddes: *nimirum omnium circumstantiarum accuratâ ratione habitâ, ut tempestivo & opportuno tempore ipsi offerantur: ita scilicet si forte non ægrotet, sed corpore firmus erit &* validus, si *animo* lætus erit *& hilaris, &* deniq; si *carminum meorum libros, quos apud te esse scit repetet à te &* reposcet. *Imprimis etjam atq; etjam vide ne aliquid te & me indignum & odiosum committas, & nimio nostri studio & amore pecces, dum mei nimis studiosus mihi gratificari studes, nimisq;* sedulus, *diligens & penè* importunus *chartas meas intempestivâ sedulitate Augusto invisas reddas, meisq;* libellis odium *importes,* vehemente operâ *& immoderato* mei studio *atq; officio in illis* offerendis minister *nimis diligens, ut importunitate tuâ omnem gratiam apud Cæsarem amittant. Imò verò* si forte, *quod non spero,* chartæ *meæ moles ac* sarcina gravis *ac molesta existens te forte* uret, *tibiq; gravior ac molestior fuerit* abijcito *illam* potius *in itinere,* quàm *illud facias eo in ipso loco,* quo *illam* perferre juberis. *ut*

ibi de-

ibi defessus ac defatigatus onere succumbas & tanquam asinus clitellas, *quarum pondere premitur, in terram* ferus *ac stolidus abjicit, cum illam gestare non potest; ita tu quoq; librorum sarcinam in terram elidas,* impingas, *alucineris, & me teq; ipsum ludibrio exponas,* & *illud* paternum cognomen Asinæ, *quo Vinnius Fronte Asella diceris* in risum convertas, *ridendumq; omnibus propines,* & *aulicis* fabula *aliqua* fias, *risusq; & sermonis ausam præbeas. Sin verò abjicere nolueris, omnibus tuis* viribus *in illo onere perferendo* uteris, *ascendendo nimirum* per clivos *collesq;, transcendendo per* flumina, *per* lamas, *& lacunas lutosas. Horum enim nihil te impedire aut remorari debet. At verò* simulac propositi *tui* victor *fueris, illudq; quod tibi proposueras, ejusq; difficultates superaveris, jamq; ad Cæsarem* quo voles. perveneris, *memento ut decorè & cum venustate provinciam tibi commissam administres, librorumq; meorum* onus sic positum servabis, ne forte sub *brachio* fasciculum librorum portes, *ne fortassis sub axillâ vel* alâ *illos gestans omnium oculis exponas,* ut rusticus *aliqui qui* agnum *sub brachio satis ridiculè gestat, &* ut Pyrrhia *bibax illa &* vinosa *ancilla, ut est, in fabula apud Titinnium* glomos lanæ furtiva *& clanculum furto oblatæ sub axillâ manifestè portavit, & deprehensa fuit. & velut* conviva *aliquis* tribulis, *qui in certo tribu cum suis contribulibus habitans è convivio benè potus domum petit* soleas *& calceos* cum pileolo *sub brachio gestans; deniq;* ne vulgo *& omnibus obviam* narres, te sudavisse *illa* carmina ferendo, quæ *etjam* oculos & aures *Augusti* Cæsaris, *suâ suavitate* remorari *& oblectare* possint. *Tu igitur* multâ prece *à me* exoratus *hoc, quod dixi* porro enitere, *& hoc deinceps age, ut opportuno tempore, & cum decoro carmina illa offerantur. Hisce* vade *& feliciter proficiscere & rectè feliciterq;* vale, *& etjam atq; etjam* cave, ne *in libellis meis offerendis pecces & impingas, aut alicubi offendas ac* titubes, & *hæc mea* mandata frangas, *violesq;, atq; imprudenter transgrediaris.*

EPISTOLA XIV.

N*Imirum, quantùm in te jamdudum animadverti, ô* Villice *in fundo meo Sabino, qui* silvarum *atq; arborum &* agelli *mei, qui jucundissimo studiorum secessu ex vitæ tædio morosum* & *difficilem* me mihi reddit *& restituit, & jucundissimus videtur, præfectus*

es, tu agrum illum meum cum fastu contemnis & nauseas, quì tamen olim à quinq; patribus familias habitatus & possessus, quinq; familijs distinctus & habitatus fuit, & qui quondam quinq; patres viros optimos & prudentissimos Bariam in opidum Sabinorum ad capessendam Remp. dimittere solitus fuit, ne tibi forte pudori sit in illo agro habitare, in quo olim te meliores habitarunt: Age inter nos, villice, vicissim experiamur & certemus, an ego fortiùs spinas, mordaces curas, & spinosas animi perturbationes quæ animum cruciant & pungunt, ex animo meo evellam, an vero tu spinas, lappas, sentes, tribulosq; ex agro meo alacrius exstirpes atq; eruas; Et utrum Horatius, ejusq; animus à vitijs melior, cultior, & mundior sit, quàm res fundus, & ager meus à spinis & sentibus. Equidem ego, villice, tanto ruris desiderio detineor, ut nullo in loco mâlim, quàm rurì vivere. Quamvis enim jam justissimas in urbe commorandi caussas habeam, & quamvis me pietas, & justus dolor Aelij Lamiæ fratrem suum mortuum insolabiliter mærentis, deq; fratre sibi immaturè à Parcis erepto dolentis adeo acerbè ut nullum solatium admittat, Romæ jam detineat, & cura & sollicitudo de illo, quâ in ipso consolando sollicitus sum, me in urbe hoc tempore justis, ut dixi, de caussis remoretur: Tamen quamvis corpore in urbe sim, animo tamen rure vivo, & rus meum anxiè anhelo; & me illuc tamen in agrum meum mens mea ducit, animusque meus ex urbe in fundum meum cogitationibus assiduo abstrahit, & aufert, summoq; opere amat & desiderat claustra, impedimenta, & obstacula, quo minus rure esse possim, quæ suis spacijs, & loci intercapedine mihi obstant, quo minus rus mihi adsit, rumpere, & præcidere, omnesq; inter me & rus itineris difficultates velociter vincere, & superare, omnibusq; modis & rationibus rure vivere. Atq; ita ego quidem tecum non consentio, sed in hoc à te dissentio; quod ego rure viventem rusticum, tu verò in urbe viventem urbanum felicem, & beatum dicis. Sic est: Nemo suâ sorte contentus vivit, & nostri nosmet pœnitet, eoq; fit ut nemo nostrum beatus sit. Cuicunq; enim alterius sors, vitæ genus, & conditio placet, illi nimirum sua sors, suum vitæ genus, & conditio invisa & odiosa est. Interea & ego & tu parum cordati sumus, sed uterq; potius nostrum stultus est, dum hujus rei veras caussas non intelligimus. Vterq; enim nostrum locum caussatur, & accusat, locum, inquam, immeritum & non merentem, cur in ipsum culpa conferatur, dum ego urbem criminor, tu rus in causâ esse dicas, quo minus feliciter vivas. Idq; iniquè & injustè, cum locus in causâ non sit.

non sit. Animus enim in caussâ & culpâ est, qui dum corpus nostrum impellit hunc vel illum locum tanquam minus felicem & idoneum fugere, & cum alio loco mutare, se ipsum nunquam fugit, seipsum nunquam mutat, & se, suaq; vitia, & pravas animi perturbationes infelicem & ingratam vitam exhibentes non deserit & deponit. Unde fit ut dum cælum, & locum quidem corpore, vitia verò, & pravos adfectus animo non mutamus, crebra locorum mutatio animi morbum non levet, sed intendat potius & exasperet. Quæ autem hæc in te, Villice, levitas animi, flagitiosa malitia, inconstantia, & intemperies? Tu enim ante, quantum recordari possum, & tu probè meministi, in mediâ urbe tanquam mediastinus cum viveres, servusq; abjectissimus tenuiter victitares, rura, vitamq; rusticam, beatam, felicem & tranquillam tacitâ prece appetebas, & non obscurè laudabas, & exoptabas. Jam verò dum voti tui compos factus ruri es, & in fundo meo villicus à me constitutus es, mutatâ per extremam levitatem sententiâ laudas urbem Romam & in illâ ludos Circenses, Theatrales, Campi Martij, & balnea illa Romæ frequentata, quotidiana, & fermè continua. At verò ego contra cum rus laudavi in illam tuam animi levitatem non prolapsus sum. Nimirum vel tu ipse scis me mihi constare, tu ipse nôsti me in sententiâ meâ vitam rusticam esse præferendam, perseverare; & sæpe deniq; vidisti me invitum & tristem rure discedere, agrumq; meum relinquere; quandocunq; civiles occupationes, & negotia urbana invisa, odiosa, & ingrata me Romam nolentem trahunt, & reluctantem quasi abducunt. Male ergo inter te & me convenit. Non enim eadem uterq; amamus & miramur. Sed eo inter te & me disconvenit, ideo inter nos malè consentimus, propterea inter nos dissidemus & discrepamus, quod tu rus vituperas, ego verò laudo. Nam rura, & loca rustica, silvas, & campos, quæ tu tanquam tesqua inhospita, & deserta esse credis, & horrida, aspera sentibusq; completa esse deputas: Illa vir prudens & cordatus, & quicunq; mecum sentit amæna, & amanda vocat & illa contra odit, quæ tu pulcra vocas, inq; felicitate & beatitudine numeras. Verum quantum video fornix & lupanar & popina uncta, varijsq; delitijs redolens & plena in quâ omnis generis delitiæ & obsonia coquuntur, urbis Romæ desiderium incutiunt tibi & immittunt, & quod agellus meus in Sabinis qui tibi per contemtum angulus dicitur, vini est sterilissimus, adeo ut possibilius esset, ut piper & thus, quæ in Arabiâ tantum proveniunt, proferret, quàm uvam, aut vinum produceret,

Præterea vicina quædam taberna vinaria, quæ vinum tibi sitienti possit prębere, tibi in agro meo non subest, nec meretrix ibi tibi præsto est psaltria aut tibicina, quæ doctè psallere, aut cantare poßit, ad cujus canentis strepitum tu, Villice, inepte saltator, & mole corporis tantum terræ gravis, saltare possis. Interea tamen ibi agrum meum quamvis invitus colis, & arva mea jam pridem nullis ligonibus tacta nec fossa, nullo aratro proscissa aut subacta, urges, & studiosè fodis, aras, & subigis, & bovem unum ab altero disjunctum nec inter arandum cum altero junctum, sed separatum sollicitè curas, cumq; frondibus ab arboribus decerptis strictis & divulsis exples & satias, & ad futuram agriculturam pascis. Præterea rivus agro meo vicinus opus tibi pigro atq; socordi addit, veternumq; excutit, & quotidianum negotium atq; laborem exhibet, qui cum imber decidit & auctiorem rivum fecit multa aggerum mole sibi objectâ coërcendus est, inq; aliam partem derivandus & avertendus & quasi docendus est, ne vicino meo aprico campo aëri & soli latè exposito, nocere poßit, nec aquæ copia ipsum inundet & obruat, sed ipsi parcat. Nunc age ex hisce enumeratis audi jam & considera, quidnam illud sit quod nostrum concentum, concordiam, harmoniam & consensum dividat & discordem faciat, nosq; discordes dissentientesq; reddet. Nimirum diversæ vitæ, diversa etjam sunt studia, & juniores stulta juvenilia & nugacia tractamus. Equidem fateor quod & ipse junior ijsdem, quibus tu jam rebus studijs & vanitatibus indulserim, quæ mihi jam seni ut & sunt, juvenilia incpta & stulta videntur. Nam & ego ijsdem quibus tu jam opinionibus quondam ductus fui. Nimirum quem olim tenues togæ docuerunt, quem vestes molles delicatorum muliebriumq; & mulitia exornarunt, quem capilli nitidi & unguento delibuti & nitentes condecorarunt, quem scis rapaci illi & in explebili meretrici Cynaræ quondam placuisse, & sæpe amatum fuisse; quamvis immunem & gratis sine ullo dono aut munere ablato: & quem deniq; noviſti hominem bibulum & vinosum & strenuum potorem vini Falerni liquidi, idq; non sub vesperam, sed de mediâ luce bibendo incepisse: illum jam seniorem factum juvat brevis aliqua & frugalis cena, illum jam prudentiorem ætate redditum, vitæ rustica tranquilla & secura & dulcis somnus in virenti gramine, molli herba, idq; prope rivum, qui leni murmure & susurro facile somnum conciliet, nec me pudet quondam lusisse, potasse, amasse, & juvenilia tractasse, sed illud me pudet, quod longius ad diutius juvenilibus illis

ineptijs

ineptijs adhæserim, illumq; ludum non in tempore abrumpere & incidere volui, omniumq; delitiarum voluptatumq; juvenilium finem imponere. Cum interea tu jam maturiori ætate illud quod turpiter audes, non brevè facias, nec luxuriæ vitiorumq; ullum modum statuas, & urbanis delitijs & flagitijs adductus, urbem ruri præferas; quo tamen nec jucundius nec securius quidquam cogitari potest. A rusticâ enim vita multa vitia praviq; affectus, qui vitam urbanam variè agitant & inquietant, exsulant, & remoti sunt, imprimis iners illud vitium livoris & invidiæ. Hic enim in agro dum sum non quisquam invenitur, qui mea commoda, meas fortunas & felicitates transverso & maligno vultu, obliquo & invido oculo limet, attenuet, vel atterat. Nemo tacito atq; occulto obscuroq; invidiæ odio, aut dente morsuq; invido, & obtrectatione res meas infestet, corrumpat, venenet & effascinet. Tantum autem abest, ut commodis meis invideant, ut vicini mei in agro rideant, dum opera rustica exerceo, mihiq; congratulentur, dum glebas & saxa moveo & rusticos labores non aversor. Tu verò, rusticis delitijs exsatiatus & luxuriosus redditus ruris commoditates amplius tolerare & æquâ mente perpeti non potes. Nimirum qui in urbe turpiter & inhonestè vivere, & cum conservis nebulonibus diaria in urbe, diurnum victum, aridum & solicitum instar muris alienum cibum arrodere, tenuiterq; vivere & famere, quam ruri abundare, teq; explere, & honestam vitam agere. Nempe in horum servorum urbanorum miserabilem numerum tu inconsiderato voto & improbis precibus præceps quasi furiosè ruis: interim ignoras cum quibus ærumnis & molestijs in urbe vivant: contra calo aliquis servus militis urbanus, qui ligna vallumq; fert argutus & callidus, teq; longè prudentior, cum videt te omnibus rebus abundare, invidet tibi usum copiamq; lignorũ. & cum ligna hiemali tempore ipse domi non habet, invidet tibi usum pecoris, invidet tibi usum horti, olera, braßicam, radices, & cetera. Sic est, nemo suâ sorte contentus vivit, & tu qui tanquam bos piger ruri ad arandum natus es, non ut equus ad vehendũ aut currendum, tu desideras sortẽ tuam, cum sorte equi commutare, vis caballus esse. & exoptas ephippia & equorũ sedilia & equitem insessorẽ gestis excipere, contra calo servus urbanus tanquã caballus invidet tibi rus optat tuo loco bos esse & arare. Verũ enimvero hæc animi perversitas & incõstantia, hæc morũ malitia & tẽperies à viro bono debet esse alienißima. Contra sic censebo, meoq; judicio rectè judicabo, ut uterq; nostrũ & ego & tu illã artẽ. quã quisq; nostrũ scit. novit, & didicit, in hâc sese exerceat. quã uterq; nostrum provinciam spartamq; nactus est, illamq; exornet, & suæ vitæ conditioni pro-

tioni pro-

tioni propriâ agat & aliena ad se non pertinentia relinquat, suâq; sorte & conditione contentus vivat.

EPISTOLA XV.

AD C. NUMONIUM VALAM.

CUM *Bajis ob aquas calidas ad valetudinem meam tuendam, & oculorumq; lippitudinem profligandam hactenus vixerim: Jam de medicorum consilio animum mutavi, & calidas thermas frigidis fontibus permutare, & ad alia loca proficisci, Veliamq; Lucaniæ oppidum, aut Salernum in Picentino agro situm petere constitui.* Nam Bajas, *ubi hactenus vivo,* Antonius Musa *medicus Augusti præclarissimus* mihi *parum utiles, &* supervacuas *ad morbum meum profligandum esse dixit: & ad voluptatem tantum, non autem ad valetudinem pertinere. Quamvis autem ex medici, quem dixi, consilio, Bajas relinquam, calidasq; aquas Bajarum, frigidis fontibus permutem:* Illis tamen *Bajis* quod per medium *hiemis* frigus *ad retundendum pituitæ fluxum* gelidâ undâ *aliorum locorum potius, quàm calidâ Bajanarum thermarum* perluor invisum *atq;* *odiosum* me facit; *cum non ego eo nomine, sed medicus potius incusandus esset.* Sanè *Bajarum ille nobilis* vicus gemit, *& maximo opere dolet, se & sua ab ægrotis contemni, se & sua* myrteta *loca amœna myrtis consita* relinqui, *suasq; aquas sulphuratas, quæ hactenus* dictæ & *creditæ sunt arthrididem* morbum *articularem pigrum,* nevisq; *inhærentem &* cessantem, *& difficulter profligandum, per sudorem* elidere & *ejicere,* contemni, *& præteriri,* invidus, *iratus, & infensus illis* ægrotis *existens,* qui caput *ægritudine quâpiam laborantes,* & stomachum *suum* fontibus Clusinis *in Hetruria frigidis,* audent *objicere, &* subponere & Gabios, & frigida rura, *& balnea in Sabinis montibus valetudinis gratiâ* petunt. *Sed his tamen contemtis (mâlo enim civitatem Bajarum mihi iratam esse, quam ipsam sanitatem) ex consilio medicorum, locus hic* mutandus est, *aliusq;* locus *petendus: & equus meus, quo hactenus Bajas vectus sum, præter* nota *illa,* & *toties frequentata* diversoria *in viâ, quæ Bajas ducit,* agendus *est, & si more solito nota & frequentata hospitia* equus *meus velit repetere: tunc Horatius* eques habe

nâ qua-

nâ quâdam vel flagello illum à lævâ parte dextrorsum circumducet, & stomachosius atq; iracundius retorquebit, & dicet: Eho Eque ferox, quo tendis? Non amplius, ut tu censes, Cumas, aut Bajas mihi iter est, sed Clusium, aut Gabios, aut Velium ac Falernum. Sed frustra eques vocem adhibet, cumq; equo suo stomachatur. Equus enim non verbis regitur, sed freno ducitur, inq; ejus ore frenato quodammodo auris est. Quia ergo Cumæ & Bajæ sive gaudeant, sive doleant, locus alius mihi petendus est, de illo, quisnam futurus sit, adhuc incertus sum & sollicitus. Quocirca æquum est, te Cnee Vmoni Vala tanquam amicum nobis scribere, & par est nos tibi tanquam amico accredere, quænam aliorum locorum natura sit & conditio. Et inprimis, quænam hiems sit Veliæ in Lucano oppido, quæ ibi aëris qualitas hiemali tempore, quodnam cælum & status loci sit Salerni in agro Picentino, quorum nam hominum illa regio sit, quæ illorum, qui illic vivunt, vita & mores, & qualis via, quæ illo commodissimè deducat, amœna an ingrata, & utrum horum duorum populum Veliensem an Salerbitanum major frumenti copia quotannis pascat: & quasnam aquas frigidas ibi habeant, bibantne ibi aquas pluviales, per imbres decidentes, inq; sisternis collectas; anne verò puteos & fontes dulcis jugisq; aquæ, perennes, jugiter promanantes, semperq; fluentes. Nam vina illius Veliensis, aut Salernitanæ oræ, aquosa, acerba, parumq; grata, nihil moror, nihilq; desidero, nam ruri meo, cum aliud vinum habere non possum, vel tenuissimo contentus esse, & frugaliter vivere, & quidvis perferre ac pati possum. At verò, cum ad mare veni in Campaniam aut Lucaniam, vina illius regionis aquosa & austera atq; mea in agro Sabino nihil meliora non desidero, sed vinum nobile & generosum & quod tamen mite & lene sit, ex alijs locis ob maris commoditatem eò advectum requiro & desidero, & quidem tale vinum, quod curas omnesq; sollicitudines à me abigat, quod morbi mei oblivionem inducat, quod in corpus venasq; meas copiosè diffundatur, & per corpus vini potu concalefactum etjam ad animum, cum divite spe alijsq; animi motibus, lætitiâ & gaudijs jucundissimis dimanet, quod me fecundo calice disertum reddat, mihiq; mox ferri verba ministret & jucundam eloquentiam suppeditet, quod me, ex sene juvenem redditum jucundiorem, liberaliorem, venustiorem efficiet, meq; Lucanæ aut Campanæ amicæ commendet, & apud eam amorem mihi benevolentiamq; conciliet. Deinde scribis etiam nobis uter regionis illius tractus

 Veliensis

Veliensis an Salernitanus plures lepores, uter *tractus plures* apros educet & *producat*; utra æquora *Veliensia an Salernitana* plures pisces, *plures* echinos, *pisces marinos hirsutos suo profundo* celent & *abscondant*, *ut nimirum talium delitiarum copia, ibi mihi suppeditet, & inde* domum reverti possim, *non solum sanitati restitutus, sed etjam benè curata cute* pinguis & *obæsus*, & Phæax *aliquis ex Alcinoi juvenibus delitijs & voluptati deditus. Cogito enim ex animi sententiâ luxuriosè & opiparè potius, quàm parcè ac duriter vivere, & cum omnium rerum copia mihi suppetit, luxuriari, cum verò deest parsimoniam victus, & frugalitatem colere, atq; adeo vel luxuriosissimorum nepotum exemplum in hoc mihi proponere. Fabius* Mænius *Pantolabus*, ut *satis notum est, postquam substantiâ* rebusq; paternis & maternis *epulando & commissando, strenueq; potando* fortiter absumptis *nihil hæreditatis reliqui fecit, &* urbanus & *jocosus* haberi cepit, & *factus est* vagus *aliquis* scurra *alienarum mensarum insidiator, qui cibi causâ risum divitibus movebat, perq; totam urbem vagabatur, inq; omnibus convivijs, scurram agere incipiebat, adeoq; qui domi suæ amplius* certum præsepe & *stabile stabulum* non teneret, *sed mensas alienas sectaretur, nec easdem semper, sed semper alias atq; alias, quiq; adeo in quoscunq; protervus atq; impudens esset, ut cum adhuc esset* impransus, *jejunus, siccus & morosus, ipsiq; fames & mora bilem in naribus concitassent*, civem *ab hospite, amicum ab* hoste non discerneret, *sed sine discrimine*, quælibet opprobria & *maledicta* in quemvis *sive amicum sive inimicum* confingere, certus, *promptus & paratus esset: deniq; qui* pernicies, *pestis, damnum*, tempestas & *clades*, & *deniq; immensum* barathrum, *inexplebilis vorago & ingluvies totius* macelli *omniumq;, quæ in macello venderentur existens*, quicquid *conquisierat lucri fecerat, labore atq; operâ suâ pepererat, illud* avaro & *inexplebili suo* ventri *absumendum & ingurgitandum* donabat. Hic *tantus & talis nepos* ubi *à nequitie & gulæ* fautoribus, *sui similibus luxuriosis interdum* parum *acquireret*, *à* timidis *verò & avaris* nihil *omnino* abstulerat, *atq; ita lautiores epulæ eum defecerant, magnam vilissimorum ciborum copiam devorabat, & integras* patinas omasi *bubulæ pinguioris* & vilis agninæ *carnis plenas* cænabat, & *per inauditam edacitatem tantum ciborum absumebat*, quod vel tribus ursis *animalibus edacissimis* satis esset. *Nimirum qui eò luxuriosissimè vivebat, eo quisvis virulentissimè calumniabatur, ut alius criminator ab ipso objurgatus pari virulentiâ recriminando*

nando probè ipsum ulcisceretur. Cum n. tanta esset Mænij nepotis ingluvies, ut fama exstimulatus nemini parceret, aliosq́ tanquam luxuriosos helluones avaros & sordidos calumnijs virulentißimè proscinderet, (illorum more, qui cum ex paupertate, genio amplius indulgere nequeunt, sobrietatem laudant, idq́ sibi laudi ducunt, quod inopiâ faciunt:) factum est scilicet ut in *Cornelium Bestium, hominem avarißimum (illum, qui soceri sui Roscij Imbrici filium sibi servandum datum morti dederat, ut auro ejus poti-retur) incideret, illumq́ hominem sordidißimum compellaret, multisq́ convitijs oneraret. Cornelius* Bestius *vehementer à Mænio castigatus & correptus, ejus virulentiam consimilibus opprobrijs probè retunderet, inq́ luxuriosos heluones Mænij similes convitijs fulminaret, & inter alia* diceret, *hujusmodi voraces luxuriosorum* nepotum ventres *gravibus tormentis esse* excruciandos: *atq́ adeo* candente *ferri* laminâ *esse* amburendos, *gravibusq́ supplicibus torquendos & excarnificandos esse.* Idem *hic Fabius* Mænius *Pantolabus*, ubi omne *& universum*, quidquid majoris prædæ nactus erat, *quidquid præcipuè in opibus & facultatibus habebat, abligurrierat* & *absumserat, & decoquendo* in tumum & cinerem *redegerat & converterat*: Non demiror, *me* Hercule, ajebat, si qui *sunt, qui* bona *sua* comedunt, *& delitijs lautitijsq́ jucundissimè absumunt*, cum turdo *pingui &* obæso, *& porci sumine lauto*, & amplâ vulvâ nihil pulcrius, *dulcius, & jucundius inveniri poßit.* Nimirum hic *talis & tantus nepos, qualis Mænius fuit*, ego *Horatius etjam* sum. *Certè ipsi non omnino dißimilis.* Nam *& ego* cum *facultates & lautiores* res *me* deficiunt, *unde luxuriosè poßim vivere* tuta & *secura, parva &* frugalia *imprimis* laudo *& commendo*: *Nimirum dum inops & famelicus* inter vilia *& paupercula constitutus sum*, satis fortis, *satis continens, & temperans in perferenda inopiâ cum aliter agere non possum.* Verum *rursum* ubi *lautius* quid *&* melius, & unctius *mihi* contingit; *Mænij similis mutatâ sententiâ* idem *ille ipse ego, qui ante frugalitatem & parsimoniam laudabam, opiparas cœnas & divitias laudo, &* dico *adeo* vos *bene* sapere, *vos* solos benè *& beatè* vivere, *qui tanti estis, opibusq́ abundatis, &* quorum pecunia *in latifundijs, opimis prædiis*, nitidisq; villis *earumq́ jucundißimis fructibus non sine voluptate* fundata, *atq́ collocata* conspicitur. *Vale.*

EPISTOLA XVI.

AD QVINCTIVM.

NE *opus habeas ut multum diuq.* percuncteris, optime Quincti, *de forma, situ, qualitate & naturâ agri mei, ecquid* fundus meus *in Sabinis me Horatium* dominum *suum* arvo *frugibus copioso* pascat, an *verò* olivæ baccis, opulentet; pomisnè an pratis *armentis pascendis me alat,* an *verò* ulmo *arbore cum* vitibus amictâ, *vestitâ & maritatâ me ditiorem reddat & locupletet: ut ab hâc sollicitâ curiositate te liberem,* formâ & situs agri *mei* loquaciter *& verbosè* tibi *à me* scribetur. Continui *in fundo meo in Sabinis colles sunt, &* montes, nisi *quod* opacâ *aliquâ* valle *& majore aliquâ planitiè, in quâ fundus meus,* dissocientur, *& continuitas illorum dirimatur.* Sed *illorum montium situs talis est, ut illorum* dextrum latus sol veniens *& matutino tempore oriens* aspiciat, *& dextrum latus montium ortum respiciat,* lævum *autem & sinistrum latus, sol* discedens, *& ad occasum descendens* curru fugiente *& ad occasum inclinante sub Horizontem* vaporet, *& vespertino tempore tepefaciat. Sanè in fundo meo* temperiem *cœli ac loci, & moderatum aëris statum suo merito* laudes, quid *de alijs agri mei amœnitatibus dicam? nimirum si videas, quod* vepres *spineta & virgulta circa sepes* rubi cunda *& lapidosa* corna & pruna *dulcia proferant,* & benignè, *copiosè, atq; abundanter producant: si videas, quod* quercus & ilex *arbores glandiferæ ipsum quidem* pecus *porcos* multâ *glandium* fruge, *me autem* dominum *Horatium* multâ *atq; gratâ* umbrâ *affatim* juvent, *atq; beent: tum nimirum demum* dicas Tarentum *urbem fertilitate & amœnitate in Italiâ præcipuam ad rus meum concessisse, & ad agrum meum* propius adductum frondêre, *suamq; amœnam suavitatem exhibere, quin etjam* fons *nomine Bandusia per medium fundum meum permeat, tantâ aquarum copiâ ut etjam* idoneus *sit, tamq; magnus,* ut rivo, *quem Digentiam appellamus,* nomen dare *possit, inq; agro meo Sabino* fluat, infirmo capiti *atq; alvo mirificè* utilis, *& tantâ quidem vel frigiditate vel puritate, ut nobilissimus Thraciæ fluvius* Hæbrus *ipsum* Thraciam nec frigidior *nec* purior *lambat & ambiat.* *Et quidem* hæ latebræ, *& hi secessus sunt agri mei in Sabinis, non* dulces *solum, sed* etjam amænæ, *quæ tempore auctumnali* horis *atq;*

diebus

diebus Septembribus, *cum pleraq; in Italiâ loca peste, morbis atq; morte infestantur*, me tibi *reliquisq; amicis, salvum*, incolumem, *recteq; valentem* præstant *atq; exhibent*. *Atq; hic quidem in tam amæno loco eo, ut dixi, modo vivo*. *Jam cum de me meisq; rebus amicè atq; benivolè inquisieris: non ægrè feres si eâdem benivolentiâ & candore de te rebusq; tuis accuratiùs etjam aliquanto inquiram. Et ego quidem, qualem famâ hominum me perhiberi velim, talis etjam esse studeo*. Tu *verò* recte vivis *si idem facis*. & *illud* quod audis *& famâ hominum diceris atq; nominaris*, esse *studes atq;* curas. *Jam verò* jampridem omnis Roma, *omnesq; cives Romani quotquot sumus felicem atq;* beatum te jactamus. *Quare tuum erit, ut talis etjam esse studeas*. Sed vereor *atq; malè metuo*, ne *cum* aliis *potius, quàm tecum habitare cupias, ne ventosorum hominum more te extra te, tuamq; conscientiam in aliorum sermonibus, & famâ vulgi, quæras, & ne* de te *rebusq; tuis alteri cuipiam* plus credas quam tibi *ipsi, teq; potius ex famâ hominum aliorum, quam ex tuâ conscientiâ existimes*, neve *quempiam* beatum putes, *divitem, inq; honoribus constitutum, qui à* viro sapiente & bono *alius ac diversus sit: & ne more illorum, qui cum ægrotant, morbum dissimulant, ut eò liberius cibo & potu atq; genio indulgere possint, ita tu quoq;* si populus te *hominem frugi & quantivis pretij*; sanum recteq; valentem, *nulloq; animi morbo affectum* dictitet, *idem facias, quod febricitans, &* sub edendi tempus *inter ipsas epulas* occultam febrim dissimules, donec *ipsa febris manuum trepidatione se ipsum prodat*, manibusq; *cibo delicato atq; potu* unctis tremor incidat: *donec, inquam stolidissimis dictis pariter ac factis, cum virum sanum atq; sapientem multo jam tempore te simulaveris, vanitatem tuam omnibus ridendam exponas. Nimirum* malus *ille ac vitiosus* stultorum pudor, *quo pleriq; imbecillitatem suam fateri & ab aliis emendari erubescunt, & qui plerisq; obstat quo minus ad virtutis & eruditionis frugem* perveniant: *ille* incurata ulcera, *& vitia virtuti & honestati contraria nec à virtute perpurgata* celat *& occultat potius, quàm detegit & manifestat: & pleriq; ex vitiosâ verecundiâ vitia sua dissimulare, & adulatorũ laudibus externoq; habitu sancto velare, quàm viris bonis ac amicis confiteri, ut illorũ vocibus admoniti ea corrigere & emendare possint, mâlunt. Sanè incredibile memoratu est, quanta vanitas sit illorũ, qui vel adulationibus suas aures præbent, vel aliorum aures, suis adulationibus implent. Age enim* si quis *adulator, ut Artotrogus ille apud Plautum in milite glorioso, multo verborum ambitu*

ambitu dicat & enumeret res à te præclarè gestas & bella terrâ mariq; à te pugnata, & alia, quæ tu nunquam feceris, & his consimilibus alijs verbis sequentibus vacuas tuas laudumq; avidas aures permulcet, & dicat. Age, ô patrone, non immerito poßis ambigere, utrum tu tanquam patriæ pater salutis Populi Romani cupidior sis, an vero populus Romanus cupidior sit tuæ salutis, & anne populus Romanus te salvum potius an verò tu populum. Hoc vero utrum verum sit velit Iupiter ille Deorũ optimus & maximus, qui & tibi & urbi Romanæ perpetuo consulit, in perpetuo ambiguo semper conservet, ne hujus rei tua morte vel calamitate aliquando periculum faciamus, & experiamur, tune populo an populus tibi carior sit. Tunc nimirum videres te non minus populo, quam tibi populum curæ esse. Et hæ quidem laudes tales sunt, ut ex talis adulatoris verbis, eximias Augusti laudes, & non nisi patribus patriæ debitas, & tibi tantum per adulationem attributas, possis agnoscere. At heus tu, quisquis es, qui tanto adulatori aures tuas præbes, cum pateris & etiam omnino vis, te virum sapientem, & ab omni vitio integrum & emendatum vocari, cur non removes laudes tibi non debitas? & dic sodes, respondesne ad hæc adulatoris verba tanquam tuo nomine non alieno compellatus sis. Certè si hasce laudes acceptas, & hisce laudibus Augusto, non tibi debitis tanquam tuo non alieno nomine compellatus sis, respondeas, Homo non immeritò diceris impudentißimus. At verò hic dicis mihi: quis tamen, ô Horati, adeò perversus, suæq; famæ prodigus unquam invenietur, qui laudes atq; os populi meruisse nolit, & qui nolit credere si tota vicinia ipsum virum egregium perhibeat, & deniq;, qui vulgi de se sermones negligat & contemnat? Nempe ego æquè ac tu à vulgo vir bonus & prudens dici gaudeo ac delector. Equidem, quisquis hæc mihi objectas, idem tecum sentirem, nisi vanitas, inconstantia & perversitas populi mihi perspecta esset. Nimirum qui hæc hodiè tibi dedit, qui te hodie virum bonũ & prudentem appellavit; ille, si volet, eadem cras à te auferet, teq; malum atq; stultum appellabit. Vt si populus Romanus hodie indigno cuipiam magistratum indulserit, & consulares fasces detulerit: idem populus paulo post eosdem honores rursus auferet atq; detrahet: qui nimirum populus inquit: depone hanc rem à me datam, depone fasces & magistratum: meum enim est hoc, nihilq; tuum est quicquid ego feci tuum. Nimirum tunc illa depono, & honores relinquo, & tristis & iniquo animo recedo. Nempe ut falsis populi laudibus vir bonus non debet efferri; ita

neq;

neq; falsis ejusdem vituperijs perturbari, atq; adeo vir bonus & sapiens voces imperitorum de se sive se laudantium sive vituperantium non magis moratur, quàm ventre redditos crepitus. Quid enim refert sursumne illi an deorsum sonent, & quid refert populusne aliquem laudet, an vituperet. Sive idem enim populus me immeritum immensis laudibus ad cœlum usq; attollat, egoné ob id efferar, aut cristas erigam? si idem *populus me immeritum magna voce* furem *esse* clamitet, *si* me pudicum *& honestum* neget, & *scortatorem atq; adulterum perditissimum passim falso traducat, si me parricidam esse criminetur, &* laqueo paternum collum pressisse, & *patrem strangulasse obfirmato animo* contendat, *& pertinaciter adfirmet, atq; interea mentiatur: Egone illis* falsis opprobrijs *& contumelijs mordear aut commovear, aut* colorem mutare *debeam, atq; oppallescam? Illud verò viro honesto atq; gravi turpe pariter & indignum. Quem enim hominem,* nisi *planè* mendosum, vitiosum, *morbidum, & sapientiæ remedijs medicandum, vel* falsus honor juvare, vel mendax infamia terrere *potest? Nimirū* vir honestus *& gravis vel adulatores vel calumniatores è vulgo eodem loco, eodē ordine esse censet, utrūq; nihil curat & moratur. Age enim si tibi lubido est, audi, quidnam vulgus de viro bono sentiat. Nimirum quem vulgus non ex animâ & conscientiâ, sed ex vitæ externæ corporisq; superficie, & aliorum hominum sermonibus atq; famâ æstimat. Quidnam enim est vir bonus, si ex vulgo quæras: Ita nisi fallor tibi respondebit:* Qui *vita externâ vivit juxta* leges, & servat patrum & *senatus* consulta, jura *& leges,* qui *in magna existimatione & auctoritate est apud suos cives, qui aliorum patrocinium suscipit,* quo judice multæ magnæq; lites secantur, *& deciduntur, & graves controversiæ transiguntur. Qui est fide dignus, &* quo sponsore *suam fidem pro alijs interponente nemo circumscribitur, sed res sartæ atq; tectæ conservantur.* Et quo teste, *deq; re incertâ testimonium perhibente actores causâ non cadunt, sed caussæ* obtinentur. *Egregium verò virum bonum, qui nihil habeat nisi externæ vitæ honestæ testimonium, idq; in vana atq; inconstanti plebecula!* Sed *ut vel maximè à vulgo vir bonus, & quantivis precij habeatur: tamen qui propius ipsi adest, & ad interiora animi penetrare potest, ut* domus, *& familia,* & tota *etiam* vicinia, *illa* videt *atq; animadvertit,* hunc *intus,* introrsum, *& in cute, inq; interiore animo,* turpem, *vitiosum, & malum, & externo habitu corporis, & vita exteriore (tanquam* decora *quadam* pelle, *quâ multa vitia deteguntur,)* speciosum:

Qui si se à malo abstineat, non illud virtutis amore faciat, ut vir, qui revera bonus, sed pœnarum tantum metu, & idem si boni quid faciat, illud præmiorum spe solummodo cupiat, quiq; malum fugiat, bonum sequatur, hoc ut decus & gloriam consequatur, illud ut damnum ignominiamq; fugiant. Et ob id non viri boni neq; verè liberi aut ingenui tales appellandi sunt sed servi potius, & mancipia talia, quæ verberibus ac plagis in officio plerunq; retinentur. Et ob id tales, viri boni nomine digni non sunt, si à maleficio abstineant, sed sat habeant si pœnam & ignominiam effugiant. Etenim si servus meus mihi dicat hero suo Horatio. Ego, ô here, furtum non feci, neque abitum à te molitus sum, aut fugam adornavi: Tum respondeo ipsi, & ajo, Iam dudum, ô serve, habes atq; consecutus es precium, quare te probum & frugi servum gesseris, nimirum in pœnam non incidis, neque loris flagrisq; ut reliqui nequam servi ureris, & excruciaris. Si idem meus servus dicat mihi & glorietur. Ego hominem non occidi. Respondeo ipsi. Habes premium honestæ tuæ vitæ, non enim ob homicidium supplicio afficeris, aut in crucem suffigeris, ibiq; tua carne atq; cadavere corvos non pasces: At si verò servus ulterius argutando velit procedere, & concludere: Ego igitur quia non furtum feci, non occidi, non fugi, sum vir bonus, honestus, & frugi, & quantivis precij: Illud vero Venusinus Horatius dominus agri sui in Sabinis non concedit, sed renuit, atq; negitat. Vir enim bonus conscientiam suam, non aliorum de se famam curat, neq; honestæ suæ vitæ finem tum demum sese consecutum existimat si infamiam aut pœnam effugiat, sed si honestæ vitæ conscientia lætus atq; hilaris nunquam contristetur, nunquam perturbetur. Age enim si pœnæ metus non adforet, quid tu non designares. Nam quemadmodum lupus ab abjecta sibi escâ abstinet dum metuit ne in foveam aut carcerem incidat: Et velut accipiter se ab oppositâ prædâ ab aucupibus abstinet, dum laqueos, qui illi tenduntur, ibi suspectos habet, & deniq; sicut milvius ab oppositâ escâ abstinet, dum unctum hamum in escâ opertum tectum & occultatum metuit & reformidat, ne illum unà cum escâ deglutiat: idcirco tamen neq; lupus, neq; accipiter aut milvius à rapaci suâ & voraci naturâ abstinet, ita & tu si propter infamiæ, damni, carceris & pœnarum metum te à maleficio abstines, idcirco naturæ tuæ ingenitam malitiam non exuisti. Nam velut lupus, milvius, aut accipiter, si metus abesset omni impetu ad escam properaret: ita tu, nisi idem metus tibi obstaret, omni impetu ad quævis scelera & flagitia properares. Et ob id viri verè boni nomine dignus non es, nam boni

amore

amore virtutis, *quæ per se expetitur* peccare, *& scelera in se admittere* odêrunt. *Nimirum quibus in totâ vitâ animo fixum est, ne latum quidem unguem à virtute, & rectâ ratione & bonâ conscientiâ discedere.* Tu *contra quantum video* pœnæ *tantum* formidine nihil *mali* in te *tantum* admittes, *& pœnæ metu coactus officium viri boni facis. Qui metus ubi abfuerit, ad ingenium pravamq; tuam naturam rursus redibis.* *Age enim*, sit *quædam* spes, *fore ut scelera tua nemini innotescant, offerat se tibi quædam spes facinoris occultandi, spes quædam* fallendi, *latendi & celandi alios.* *Quid sceleris non designabis? nimirum nihil pensi habebis, omnia pro iisdem reputabis, neq; divina neq; humana curabis, & deniq;* sacra *cum* profanis miscebis *& confundes.* *Quamvis sive magnum sive parvum tua opinione in te scelus admittas, semper viri boni nomen æqualiter perdidisti, cum peccata non in rebus externis, sed in animo peccantis æstimanda sint, nec quidquam referat, sive more deplorati hominis magnum flagitium designes, sive metu pœnæ aut infamiæ tuâ opinione leve tantum peccatum admittas.* Nam *servus meus cum sis*, cum de mille modijs fabæ unum *modium furto mihi & clam* surripis, *hoc quidem* damnum levius *mihi domino tuo* est, *quàm tum esset, si totum abstulisses*: *at verò ipsum* facinus, *& peccatum per se sua natura levius non est, cum unum modium abstulisti, quam si mille modios & totum furto surripuisses.* *Nam quo ad animum, totum abstulisti, metu tantum pœnæ, quo minus illud faceres, impeditus es.* *Latissimus mihi jam pateret campus dicendi de illis hominibus, qui videri potius, quam esse boni mâlunt, & opinione tantum & famâ hominum, non autem suâ conscientiâ boni sunt, neq; illud sunt, quod simulant.* Vir *enim* bonus, *si dijs placet, qui opinione hominum vel optimus esse judicatur, in* quem *tanquam omnis justitiæ & æquitatis exemplar, populus dignitates, honores, judicia certatim confert, & quem in alto dignitatis fastidio constitutum* omne forũ, omne tribunal, *omnisq; adeo populus in foro & curia* Romana *tanquam vitæ probatæ singulare aliquod* ἀρχέτυπον spectat *& observat, & quia externam hominis vitam in superficie quasi tantum intuetur,) sanctissimum reputat, illum longè alium deprehenderes, si seipsum præ se ferret, inq; interiora ejus animi penetralia penitius aliquanto daretur introspicere; nimirum in quo infinita scelerum monstra detegeris.* *Talis enim de quo dixi,* quandocunque *sacrificat, &* Deos vel porco vel bove *sibi conciliare studet, &* placat; *tunc illa, quæ honesta sunt, claris verbis concipit, ut ab omnibus exaudiri possit, orat bo-*

nam mentem, bonam valetudinem, bonam famam & fidem, & reliqua quæ aliquis palam & omnibus audientibus rogare posit. At verò operæ precium est considerare sceleratam hujusmodi viri boni, si dijs placet, hypocrisin, qui cum initium suæ precationis, suiq; voti claris verbis & tanta voce concepit, ut à circumstantibus audiri posit, & clarè dixit, ô lane pater, clare dixit, ô Jupiter deorum optime & maxime, ô Apollo, ô Mercuri &c. reliqua impia & scelerata, quibus per extremā impietate etjam fraudum & scerum suorū auxilia à Dijs exposcere non erubescunt, submissâ voce persequitur, ita ut à quoquam audiri nequeat, & audiri metuens non vocem sed labra tantum movet, & introrsum sibi sub lingua obmurmurat, & inquit: ô pulchra Laverna furum Dea, da mihi ut alios artificiosè posim fallere, & interim justus sanctusq; à populo posim videri; da mihi, ut si non apud me bonam conscientiam, saltem apud alios bonam famam habeam: & ob id meis peccatis fraudibus & imposturis atram noctem, opacam nubem, & densissimas tenebras objice: ne quis mea peccata, measq; fraudes audire videre & deprehendere posit. At verò longè aliter vir bonus qui turpe aliquid ausurus si sine teste sit, & neminem præter se sui facinoris conscium habet, unde malam de se famam concitare posit, se suamq; conscientiam timet, qui non rectè vivit ut pœnam effugiat, sed ut bonâ conscientiâ, maximo alloquio in rebus adversis, perpetuò gaudeat, qui cum nihil DEUM rogat, nisi quod rogare posit palam, qui ita cum hominibus vivit tanquam DEUS videat, ita cum DEO loquitur tanquam homines audiant, nec illa Deo narret, quæ vel homines audire nolit. Talis autem nebulo avarus, qui ob extremam avaritiam, etiam scelerata ex Dijs expetere non erubescit, nec amore virtutis, sed pœnarum metu à peccato abstinet, non video, quomodo servo meo in Sabinis nequissimo melior aut liberior existimari posit, qui & ipse ne flagris exagitetur aut in crucem suffigatur, à furto & latrocinio abstinet. Imò verò cum servus meus hominis tantum sit servus: ille contra sceleratissimorum affectuum abjectissimum est mancipium, & avaritiam sevissimam dominam habet, quæ quo vult ipsum ducit & abducit, & ob extremas sordes ipsis etjam pueris ridiculum facit, dū se demittit & incurvat ob vilē aliquē numū in trivijs à pueris defixū. Solent enim pueri per lusum, ut avaros explorent atq; explodant, in trivijs assem vel nummum vilissimi valoris in luto defigere ipsiq; filum annectere; quem cum Sordidi prætereuntes vident, & sese ut tollant demittunt & incurvant, filo annexo numum ad se trahunt, avarosq; frustrantur, & ma-

gna

gnâ voce sordidos irrident & exibilant. Quis autem hujusmodi avaros vel virorum bonorum vel liberorum nomine dignabitur? nam quicunq; cupiet, seq; ob rem etjam vilissimam ad terram demittet, ille metuet quoque, & non solum ea quæ habet augendi libidine cruciatur sed etjam amittendi metu. Porro qui metuens vivit, ille mihi nunquam liber erit sed pro servo habebitur, nam illud quoad metuit tanquam se superius pro domino agnoscit. Nimirum quicunq; avaritiæ invigilat, & semper in augendâ re festinat, opibusq; suis accumulandis adeo intentus est, & ita occupatur & quasi obruitur, ut nulli alij rei vacare possit, ille servus est abjectus & fugitivus, & quemadmodum miles cum in conflictu stationem & ordinem suum deservit, & abjectis armis ignominiosè aufugit, capite punitur, vel perpetuâ infamiæ nota afficitur; sic avarus quoq; in pugnâ virtutum contra vitia stationem suam deserit, à vitijs superatus succumbit, constantiæ libertatisq; arma perdidit, & virtutis locum flagitiosissimè deservit. At tamen cum ordinis desertores in conflictu militiæ non occiduntur, pro hoc fugitivo servo avaro, qui virtutis stationem deseruit, deprecabor. Quare hunc avarum tanquam fugitivum servum ubi captivum nactus fueris noli ipsum occidere, cum ipsum possis vendere; permitte ut suo more miserè & calamitosè vivat, in alterius utilitatem & commodum; utpote cum magnam utilitatem ex illo possis consequi. Tale enim avaritiæ mancipium tanquam communis servus cum sibi non possit, saltem alijs utiliter inserviet, sine, ut tanquam homo durus, ærumnosus laboriosus, greges & armenta pascat, ut fundum aret, occet, stercoret, serat, metat, & alia aliorum nomine agat, jube ipsum libenter esse miserum, suorumq; hæredum ærumnabile esse mancipium, pro quibus laborat & pericula suscipit, cum ipse rebus partis nunquam utatur, sine ut ob aliorum commoda & utilitatem excubet, navigationes periculosas suscipiat, inq; medijs maris undis hyemet, pro alijs mercaturam calamitosam exerceat, annonæ prosit, eamq; viliorem efficiat, vino, oleo, alijsq; mercibus aliunde advehendis, omnis generis frumenta & penus, & deniq; omne illud, quocunq; homines vescuntur advehat & supportet. Nimirum hic vir bonus est opinione vulgi, qui famam potius curat quam scientiam, qui videri bonus, quàm esse mavult, qui infamiæ pœnarumq; metu à scelere abstinet, qui ex scelerata hypocrisi etjam turpia à Dijs petere non erubescit, qui deniq; abjectissimo servo aut mancipio nihil melior est, nec sibi sed alijs tantum utilitatem adfert. At contra vere bonus & sapiens

longè ab illo priore alius est & diversus, nimirum qui præ virtute omnia contemnit; qui nihil amat præter honestatem, nihil metuit præter turpitudinem; qui verâ libertate, animi magnitudine, & constantiâ præditus sit, quibus septus & munitus omnes res humanas ex alto despicit, qui paupertatem morbum, exsilium, vincula, cruciatum corporis, & deniq; omnium horribilium horribilissimum mortem, contemnit, & summum nefas reputat, propter vitam vivendi caussas, virtutem & honestatem perdere, talis vir bonus & sapiens, quem dixi, audebit *illa verba Bacchi apud Euripidem in Bacchis usurpare, ubi Bacchus dissimulata Deitate captivus ad* Penthea Thebarum regem *Æchionis & Aganæ filium, qui orgia Bacchi admittere nolebat, & ob id à matre ac materteris Bacchi furore exagitatis discerptus fuit, perductus, sub personâ viri boni & constantis his animosis verbis tyrannum illum Penthea compellat: captivus ad te perducor, ô Pentheu rex Thebarum, occidere me poteris, lædere non poteris;* quid *enim tu me vel facere, vel* perferre ac pati *coges, quod personâ meâ, animi magnitudine, & constantia* indignum *sit? nimirum me nec carcer, nec mortis metus, nec ulla externa vis à virtute & honestate* deturbabit. *Respondet Pentheus, ego verò omnia* bona *tibi* auferam, *& ob id te cogam, inq; meam sententiam traducam, teq; docebo mortalia sapere, nec aliquam deitatem homine superiorem affectare;* Nimirum *omnia quæ in bonis reputantur tibi eripiam,* pecus, rem, lectos, argentum. *Ibi respondet Bacchus, ut lubet,* tollas licet, *ob id ab officio viri boni nihil alienum faciam; cui rursus Pentheus: imò verò in carcerem te compingam, ibiq; te vinculis & catenis constringam, teq;* manicis & compedibus *vinctum, sub* sævo *& diro custode con*tinebo, *ubi ærumnabilem & calamitosam vitam ages. Cui respondet Bacchus,* DEVS simul atque *ego voluero me ex vinculis illis & carceribus, ex catenis manicis ac pedibus, quibus* me *constringes* solvet *& liberabit. Quamvis autem ibi Bacchus deitatem dissimulans ambiguè & obscurè ipsi Pentheo dicat, ego ubi voluero,* DEVS *me solvet, id est,* DEVS *cum sim ubi voluero me ipsum possum solvere, non ineptè tamen fortassè* hoc *ibi* sentit *Bacchus:* Ego moriar, *&* mors *ut omnibus calamitatibus hominem liberat, ita me etjam à tuâ tyrannide liberabit. Non enim ut vitam meam mihi poteris eripere, ita etjam mortem eripere poteris, quæ cum Deus voluerit à nullo mortalium impediri potest, quæ omnium* rerum *mortalium, & omnium miseriarum & calamitatum finis, meta terminus, & extrema deniq; &* ultima linea est. *Vale.*

EPI-

EPISTOLA XVII.

AD SCÆVAM.

NON quod de tua vel virtute vel prudentia dubitare videar, Scæva, familiariùs aliquanto per epistolam de quibusdam rebus tibi necessarijs tecum agam, sed familiaritate & amicitia nostra inductus. Quamvis enim tu pro accurato tuo ingenio & confirmato judicio, per te, ut meo aliorumq; consilio nihil opus habeas, tibi rebusq; tuis consulis & per te satis scias & cognoscas, quo tandem pacto majoribus amicis uti deceat, & quo quis se modo in amicitiá potentiorum amicorum erga majores amicos gerere debeat; tamen cum videaris mihi in quibusdam adhuc admonendus & docendus esse: age disce & cognosce quidnam Horatius ille tuus amiculus censeat, quem tu quidẽ existimabis idem facere quod cæcus, qui de coloribus velit judicare, aut alteri viã velit prębere ut si ille alteri cupiã iter velit monstrare, alijsq; viæ ducem sese velit præbere: interea tamen adspice & considera, si quid forte nos vel monendo vel consulendo loquamur, quod tu proprium facere, inq; rem tuam convertere, & in rebus tuis uti cures & cupias. Quoniam ergo vita hominum bifariam distribuitur in vitam privatam tranquillam & otiosam, & politicam, activam, magisq; homine dignam: si prius vitæ humanæ genus vita otiosa, grata quies, & somnus nullis negotijs perturbatus securus & tranquillus ut in primam diei horam dormire possis, juvat te & delectat: & si urbs Roma populosissima, & in illa pulvis frequentia hominum comitatus & rotarum strepitus propter vehicula, multorumq; in via claustrorum concursus, & caupona, & immensi in illa compotantium clamores atq; tumultus, quibus omnes vici & regiones urbis personant & alia urbana molestia lædit & offendit: jubebo te, vitam privatam securam & tranquillam colere, Ferentinum opidum Hernicorum petere infrequens & minus celebre, ubi ob paucitatem hominum vitæ tuæ securam tranquillitatem nemo magnopere perturbabit. Nam etjam illi qui securam privatam vitam colunt, beati esse possunt, & in solitarijs hujusmodi locis ipsa etjam paupertas suas voluptates habet, à curis & solitudinibus remota, neq; solis divitibus gaudia contingunt, nec male vixisse existimandus est, qui adeo obscurus & ignotus vixit, ut natus vivens & moriens alios fefellerit, latuerit & celaverit, & quem

neq;

neq; natum, neq; viventem, neq; mortuum, quisquam mortalium cognovit; adeo ut bene vixerit, qui bene latuit, & intra fortunam suam contentus securè atq; tranquillè vixit. *Sin vero altera vita civilis & operosior, & viro honesto dignior, tibi magis arrideat, nec existimare voles, quod tibi uni & soli natus sis; sed quod tuæ nativitatis partem aliquam sibi vendicet patria, partem aliam parentes & reliqui amici,* & si prodesse *tibi* & tuis voles *teq; adeo* ipsum aliquanto benignius *largius,* & *liberalius* tractare, *nec duriter & morosè vivere illorum more, qui nulli humanæ vitæ parti se familiarius applicant: Tunc tu tanquam* siccus ad unctum, *tanquam pauper, & tenuioris fortunæ homo, ad divitem & copiosum* accede, *teq; in amicitiam potentioris amici insinua, & cuidam potenti in Rep. viro te adjunge.* *Nam velut ille, qui animo austero & moroso natus est, & obscura vita gaudet, magnorum virorum amicitias non appetit, sic contra quisquis excelso animo præditus cum viris magnis vivere potest, vitæ obscuritatem relinquit.* *Notum illud Diogenis Cynici, qui cum olera lavans Aristippum prætereuntem vidisset, hisce verbis ipsum cavillatus est:* Si *Aristippus talia in cibum adhibere posset, & vita tenui & frugali contentus* olus pranderet, *tam* regibus *non* uteretur, *neq; tyrannorum aulas adulator & Sycophanta frequentaret.* *Cui Aristippus ingeniosè respondens dixit: At verò Diogenes ille Cynicus, qui me dicterijs illis contumeliosis notat, quod ex inopia facit, illud laudi sibi ducit.* *Si enim ille* regibus uti, *& cum magnis viris posset conversari, nec ob caninam mordacitatem, qua passim omnibus maledicit ad conversandum ineptus esset, tenuem illam vitam, &* olus *illud, quo se tanto opere commendat, haud dubiè* fastidiret, *seq; ad illustriorem vitam converteret.* *Age dic mihi, Scæva,* utrius horum *duorum professionem, vitæ institutum* facta & verba approbes. *Diogenisnè qui sordidam vitam suo sibi instituto elegerat, an Aristippi qui splendidè apud reges vivebat, illud* doce *me, & expone mihi:* Vel, *quia junior adhuc es, & ob ætatē nondum satis dijudicare potes, utrius* horū *vita sit potior;* me audi, cur Aristippi sententia potior sit, *& præferenda. Ille n. Diogenē* Cynicū, ut ajunt, sic illudebat, *& vexabat:* Ego *principibus & viris regibus* scurror, *& risum moveo, idq;* mihi, *in meū solum gratiam, ut mihi prosim, honores & divitias consequar, & splendidè vivam:* Tu *vero scurrando ludum & jocum* populo *tantum excitas sine ullo tuo commodo.* *Quis autem nisi omnino stolidus negarit meum vitæ institutum tuo longo intervallo esse præferendum? Nimirum multo* rectius & *melius,*

multo

multo splendidiùs & *magnificentius est, me alienis pedibus iter facere, aliena quadra splendidè vivere, ita* ut equus me portet, & rex alat, & *splendidissimis vestibus induat, quam duplici pallio vestitus nocturno tempore in dolio circumvertili dormiam. Interea quamvis apud reges scurrer,* officium *meum* facio, *nihilq; in me admitto, quod sit contra officium viri boni; Nimirum à prudenter tacendo munera accipio magnifica.* Tu *contra à quibusvis obvijs* vilissimas *res* poscis & *accipis,* & *mendicantium ritu stivem quasi corrogas:* Et quamvis te *esse tuis contentum,* nulliusq; *rei* indigentem *multis verbis passim* feras, *jactes,* & *ostentes, tamen illo* qui *tibi* dat minor es & *impotentior, quippe qui ex alio qui te major est, illud quod non habes accipis.* Nimirum *hunc* Aristippum,*quem dixi, omne vitæ genus,*omnis *vitæ* color *omnis* status & *conditio humanæ vitæ* decuit, & *ornavit, qui ad omnem locum, tempus, personam, conditionem sese decenter poterat accommodare,* & *animi æqualitatem nihilominus tamen retinebat; adeoq;* omnium *horarum homo erat, ita ut, si voluisset Diogenis Cynici miseram* & *tenuem vitæ conditionem æquissimo animo non sine singulari decoro gessisset. Nam* majora *quidem* & *illustriora semper quidem* tentabat & *moliebatur, non nisi ad splendida* & *magnifica aspirabat, interea tamen* præsentibus æquus *erat;* & *illa quæ aderant in promtu sive splendida sive tenuiora æquo animo ferebat: Adeoq; amabat quidem præsentia, sed appetebat meliora,* & *ad omnem vitæ conditionem erat commodatus.* Contra *vero Diogenes ille cognomento Cynicus,* quem *ipsa* patientia, & *vitæ tenuitas ex sectæ instituto pallio ex* duplici panno *hiemi* & *æstati accommodato* velat, & *vestit: ille quidem tenuem* & *sordidam vitam magno animo* & *admirabili patientia perferebat, verum* de mirabor *illum,* si *ipsum* via vitæ conversa & *contraria* decebit *si inquam ut Aristippus Cynicam vitam decorè egisset, ita etjam Diogenes si Aristippi more apud reges deberet vivere,* & *splendidiorem in aulis vitam colere, laudabo illum si illam quoq; vitam decorè poterit gerere. Tunc nimirum fuisset ineptissimus. Nimirum qui sordibus semper assuevit, illum splendor nunquam decebit.* Alter *vero Aristippus si more Diogenis vilioribus debeat contentus vivere,* & *quodammodo paupertatem colere, eodem animo tenuiorem, quo splendidiorem vitam colet,* & *sicubi ex negotio ipsi in publicum prodeundum sit, non morabitur splendorem,* neq; exspectabit *dum habeat* amictum purpureum, *sed* quamlibet *vestem* indutus *sive purpureã, sive duplex palliũ* per celiberrima loca, *atq; adeo per medium*

forum urbis Athenarum vadet, & utramq; personam *viri splendidioris & honorati, & sordidi cujusdam Cynici, pauperis & divitis* non inconcinnè feret, *sed cum singulari quodam decoro & venustate: nec religiosus erit in habitu corporis sive splendido, sive viliore, quamvis ad splendidiora semper aspiret.* Alter *vero Diogenes Cynicus, qui ex sectæ instituto duplex pallium gestabat, vestimenta splendidiora exempli gratia* Chlamydem *in* Mileto *insulâ* textam, *è lanâ optimâ, quali utebatur Aristippus*, cane & angue pejus, *ut in proverbio dicitur, & acerrimè* vitabit, *forte existimans se una cum duplici pallio sanctitatem, frugalitatem, temperantiam, & deniq; virtutem & sapientiam exuere. Vnde factum, ut cum Aristippus quondam cum Diogene balneum ingressus, & prius egressus, Diogenis pallium indueret, illiq; suum purpureum relinqueret, Diogenes illum induere noluerit, suumq; pallium repetierit, adeoq; frigore perire, & nudus agere voluerit,* si *Aristippus* pannum *ipsi* non retulisset, *& restituisset. Quare o Aristippe tu* refer *tantum illi Diogeni suum pallium, relinq; illi suas sordes*, & sine *ut* ineptè, *quoad voluerit*, vivat. *Certè magnæ felicitatis loco habendum est magnam aliquam in urbe vel imperio personam posse sustinere. Nimirum summas in Rep.* res administrare, *Summum belli ducem, & imperatorem esse,* hostes *superare, illosq; vinctos*, & captos *in triumphum adducere*, & civibus *suis* ostendere: *Illud verò suo splendore proximè ad Deitatem accedit, & ipsum cælum* Iovis solium *scandit & attingit*, & *non mortalia sed* cælestia tentat, *& molitur. Cui haud dubiè proximum est, talibus magnis* principibus, *bellorum* ducibus & *imperatoribus proximè adesse, illisq;* placere, *eorum gratiam, amorem & benivolentiam promereri, quæ profectò* laus non ultima est, *sed suo jure ac meritò prima, & quam quidem laudem multi sequuntur, pauci adsequuntur; Quoniam enim hæc res pulcra est, etiam est ardua; &* non cuivis homini contingit Corinthum adire, *& Laidis noctem mille drachmis emere: non cuivis ad tantos honores & dignitates patet aditus. At verò hæc mihi dicas: Magnum quidem est & egregium virorum principum amorem demereri, & res præclaras in Rep. gerere: Verum non nemo est,* qui *propterea* sedit, *otium egit & à magnis abstinuit, nimirum* qui timuit, ne non succederet. *Multos enim hujusmodi magna in extremas calamitates præcipitârunt.* Esto: *verum sic esse concedo: verum timidi & ignavi hujusmodi metu tantum absterrentur, contra autem viri fortes & animosi semper ad summa aspirant.* Quid *enim? ille* qui *tanquam fortis as*

tis ac animosus, rebus magnis manus admolitur, & ad summa & excelsa jam venit; fecitne ille viriliter & animosè, & anne ob id divinis prope honoribus dignus est? Atqui hic, quem dixi, qui virtute & prudentia sua confisus, semper tendit ad ardua, est quasi commune bonum, & hic, in hoc loco illud situm est, quod quærimus, aut nusquam alibi in naturâ rerum. Quærimus autem tales homines, qui toti Reip. & magnis rebus gerendis nati sunt. Contra autem hic qui metu à magnis rebus abstinet, & Reip. onus in se suscipere horret, facit illud suæ sibi imbecillitatis conscius, dum veretur ne magnarum rerum onus parvo suo animo & corpore majus sit, cui nimirum non sit ferendo. Contra verò hic alter tanquam vir fortis & animosus omnes pro Repub. labores subit & perfert, & ob id ad honores & dignitates evehitur, sibiq; summas opes acquirit. Certe aut ipsa virtus est tantum inane nomen, & nihil nisi vanitatis Philosophiæ somnium & commentum: aut certè si virtus aliquid est in rerum naturâ, vir magnus, animosus, & multarum rerum usu experiens periculorum atq; laborum, quos Reip. caussâ suscipit, præmia nimirum decus & honorem, & pretium opes atque divitias suo sibi jure atque merito expetit, & jure magnorum negotiorum præmia à potentioribus suis amicis repetit, verum illud faciet singulari arte, modestè, atque verecundè. Nam in amicitiâ tenuiorum cum potentioribus modestia, verecundia, pudor, & patientia tenuioris longè utilior & fructuosior est, quam procax impudentia in poscendo; atq; adeo, qui coram rege, amico potentiore vel patrono de sua paupertate non conqueruntur, sed tacent, illi plus ferent, quàm qui impudenter inopiæ suæ subsidia quærit & efflagitat. Certè impudentia ut magnos amicos vehementer solet offendere, ita multorum amicitias dissolvit. Multum enim interest, multum differt & distat, utrum illa quæ à magnis viris offeruntur, modestè & verecundè sumas, an verò impudenter petendo extorqueas & rapias. Atqui hoc quod dixi rerum caput & fons est, inq; hoc cardo quasi vertitur amicitiæ tenuiorum cum potentioribus, ut prudenter modestè atq; verecundè nos geramus, quæ ipsa res etjam mihi apud patronum meum Mæcenatem, amorem atq; benivolentiam conciliavit. Non desunt qui quamvis non apertè petant, suam tamen tenuitatem commemorantes non minus impudenter faciunt, idemq; agunt ac si apertè peterent. Nam qui ita dicit, & apud patronum suum conqueritur: Soror mihi est indotata, mater mea anus est paupercula, & fundum habeo, quem propter sterilitatem vendere non possum, qui nec satis

 firmus

firmus ac validus est ad me pascendum, ita ut sumptus ac victus necessarios mihi suppeditare possit: nimirum idem ille facit ac si clamaret: victum mihi date & alimentum: & talis impudens flagitator suo exemplo alios etiam socios suos impudentes facit & ad idem petendum sollicitat, unde fit, ut quæcunque modestè tacendo solus obtinere posset, cum alijs cogatur dividere. Alter enim quisquam socius, illi priori impudenti succedens, succinit & eandem cantilenam cantat, & inquit: quadra illa, ille cibus & victus, quem illi soli destinaveras, dividuo inque duas partes partito munere mihi quoque findetur, & dividetur Sed quemadmodum corvus, qui prædam nactus exsultans & crocitans alios corvos, ad cibi societatem quasi solicitat, si tacitus posset pasci, tunc haberet plus dapis, & illud quod nactus est solus haberet; ita etjam tenuior quisquam amicus si non impudenter flagitaret, sed verecundè potius taceret, illud solus obtineret, quod cum alijs cogitur dividere, & cum socijs suis multo minus rixæ, minus invidiæ & æmulationis haberet. Non minus vitium est inferiorum amicorum, si cum molestiâ & difficultate quâpiam patronis suis gratificentur, de laboribus ac molestijs suis patronorum gratiâ susceptis conquerantur, damna & jacturas suas ipsi exponunt, interdum etjam mentiuntur. Nam qui cum amico potentiore itineris comes vel Brundusium oppidum Calabriæ, vel Surrentum pulchrum illud & amænum Calabriæ oppidum perductus, conqueritur itineris difficultates, viæ asperitatem & salebras, acerbum frigus, & imbreis pluviasque & consimilia alia itineris incommoda, aut cistam, quam secum vexit, à fure effractam plorant, & viatica inde furto sibi subducta & ablata: ille cujusdam meretricis nota acumina notas astutias, & calamitates, refert & imitatur, quæ variarum rerum damna apud amatores suos, ut illos pecuniâ emungant fingunt & mentiuntur, qui sæpe flet apud amatorem suum, parvam quandam auream catellam sibi esse ereptam, quæ sæpe plorat periscelidem aureum cruris vinculum, quo crus alligatur, sibi furto ablatum, & dum sæpius simulatis & effictis damnis amatori suo imponit, ubi aliquando in mendacio reprehensus fuit mendaciorum præmium consequitur, ut postea vel vera dicenti fides non habeatur, & ut mox vel in veris damnis ac doloribus ipsi fides derogetur. Quemadmodum enim qui semel deceptus fuit à plano vagabundo nebulonè & deceptore (qui in trivijs prolapsus, crus sibi fractum esse mentiens, circumstantes miserabili voce ad sese attollendum, lecticâ aut equo, excipiendum, domumque suam deportandum solici-

sollicitat,) & *ita illo* semel irrisus *fuit, ne iterum decipiatur cavet, nec illum* planum crure *verè* fracto *iterum* curat attollere, *sed nullâ ejus misericordiâ motus, ipsum præterit, quamvis miserabili ejulatu alios sollicitet & fleat, &* plurima lacruma *ubertim ipsi per genas* manet *ac defluat, &* jurans per sanctum Osirim *Ægyptiarum* DEVM *maximum religiosissimè* dicat : *o homines* credite *mihi,* non *jam, ut ante, vos* ludo & *decipio, ô vos* crudeles & *immisericordes, me* claudum *fracto crure, erigite sublevate &* attollite. *Nimirum tibi tota* vicinia, *quanta maxima voce potest* ad ravim *usq; ipsi* reclamat & *respondet:* quære tu tibi peregrinum *aliquem, qui te non novit & illi fucum facito. Nam nos qui te novimus, & quos antea fefellisti, fallere & in fraudem inducere amplius non potes. Sic etjam potentior amicus à tenuiore desictis damnis conquerente semel deceptus ipsi amplius etjam in veris damnis non vult subvenire. Vale.*

AD LOLLIVM.

EPISTOLA XVIII.

I*Nter alia, quæ tenuioribus in amicitia cum potentioribus observanda sunt,* Lolli, *illud postremum non est, ut neq; nimiâ facilitate scurriles neq; nimia morositate duri & agrestes appareamus. Non autem hoc dico, quasi mihi de te aliquid pollicear, quod in potentiorum, quos colis, amicitiâ reprehensionem possit incurrere. Longè enim aliter mens & sententia tua mihi perspecta est. Nam si ego* te benè novi, *tuusq; animus moresq; satis mihi perspecti sunt, tu, cum sis homo* liberrimus, *ob ingenuam animi libertatem nunquam alteri potentiori adulabere, sed cum te alteri* amicum *fidelem futurum,* professus *es, adulatoris & Sycophantæ nomen evitabis, & alteri* scurranti speciem *cui gratia* præbere metues *etjam atq; etjam, & cavebis.* Velut *enim honesta quædam* matrona, meretrici *cuidam moribus & ingenio* dispar, *vultu & gestu* discolor est: *Ita etjam verus* amicus, *ab infido & turpi aliquo* scurra *longo intervallo* distabit. *Honesta enim matrona, & fidelis amicus maritum & amicum amat vero amore ob virtutem & honestatem: Meretrix verò & adulator scurra amat tantum propter lucrum.* Porro huic *adulatoris & scurrilitatis* vitio *in amicitia inter impares, aliud* diversum *vel contra-*

 rium

vium vitium est & prope majus *& gravius illo priore, nimirum* agrestis *quidam* asperitas, & gravis *quædam* & inconcinna *morositas, quâ nihil in humanâ cum hominibus conversatione gravius est, & molestius.* Quæ *dum adulationis vitium evitare vult, in inhumanam difficultatem contrarium vitium incurrit: Vbi* dum *scilicet* mera libertas, vera *ingenuitas* & virtus *ab omni adulatione remota* videri vult *omnia carpit & reprehendit, omnia ad vivum resecat, eoq́ nomine* se commendat & laudari cupit, *quod* cutem tondit, *& carnem secat, duriter & inhumanè amicum castigat,* & atris dentibus, *agrestiq́ mordacitate, & pænè calumnijs amicum, quem cum benevolentia admonere debebat, secat quasi & lancinat. Verum utrumq́ & scurrilitatis, & asperæ morositatis grave vitium est, & in amicitiâ cum potentioribus etjam atq́ etjam evitandum. Horum verò duorum* vitiorum medium virtus *quædam* est *Civilitas, & jucunda hilaritas dicta, quæ quamvis ab utroq́ extremorum æquali intervallo distat,* & utrinque *remota sit, tamen ab utroq́* reducta *& desumpta quasi videtur, & ut aqua moderatè tepida temperies est frigidæ & calidæ, & ab utroque temperata nullius communionem amplius habens: Ita virtus ex utroque extremorum profecta, & nulli extremorum amplius vicina, utriusque extremi temperamentum est. Vt autem ad extrema revortar:* Alter *scurra & adulator, qui* plus æquo *officiosus est patrono suo, & ultra quam par est* in obsequium *potentioris amici* pronus *& promtus est, & qui tanquam scurra* & derisor *in extremâ* imi lecti *parte discumbit, seq́ in gratiam patroni sui submittit; ille* divitis *amici patroni sui* nutum *& vultum, ne quid contra ipsum dicat aut faciat,* sic horret, *& tantâ cum formidine trepidat, ut pueri præceptores suos severiores solent observare;* sic voces *domini sui repetit cum tantâ diligentiâ* & *observantiâ* verba *ejus* cadentia *& elapsa* tollit *&* excipit, ut *hoc ipsum videns vel audiens non immerito* credas puerum *vel discipulum aliquem meticulosum* magistro *suo* sævo *& severo, quæ* dictata *sunt* reddere *& recitare, & præceptoris sui docentis & legentis vocem ore suo diligenter subsequi,* vel *potius credas* mimum *aliquem* secundas partes tractare, *& principem actorem qui primas partes egerit, diligenter subsequi & imitari.* Alter, *de quo dixi, asper in conversatione agrestis & morosus, ille omnia carpit & reprehendit, etjam de re* sæpe *vilissimâ litem movet, & quòd dici solet* de caprinâ lanâ (*quæ pænè nulla est, cum capra lanam non habeat, sed pilos*) rixatur, *& pro rebus vilissimis tanquam pro*

aris

aris & focis pugnat, *non solidis argumentis, sed nugis instructus et inutilibus dicterijs* armatus, *inq; talia verba indignabundus sæpe erumpit:* Itane vero scilicet *mihi meisq; verbis* prima fides non sit? *anne vero tolerare debeam meis verbis, vel inprimis fidem non haberi? itané verò mihi continget*, ut non acerrimè *dicã, & liberrimè* atq; vehementissimè id quod placet *et censeo* elarrem *et asperrime eloquar? nimirum mori potius malim, quam à sententiâ meâ discedere & alteri cedere. Certe si aliam ad huc vitam, aliam ætatem, tanquam silentij pretium possem consequi, & præteritos vitæ annos repetere, & postliminio quasi in vitam redire, nolim ego illam alteram ætatem pretij loco ob id retinere, sic ut alteri cogerer cedere, & meam sententiam non obtinere, & videre verba mea pondus suum non habere. Adeoq; si* ætas altera *vita mihi silentij* pretium *proponatur, ea mihi* sordet *& pro re vilissimâ habetur. At verò quâ de re controvertitur & ambigitur? & quâ de re lis vel certamen est hujusmodi hominibus litigantibus? fieri non potest quin res sit ardua, cum quis mori malit, quàm de suâ sententiâ discedere. Contentiones sunt acerrimæ sæpe de rebus vilissimis* Quid enim? *altercantur inter se*, Castor, an *verò* Docilis plus *sciat & melior sit pantomimus: utrum* via Minutia meliùs *& compendiosiùs Româ* Brundusium ducat, an *verò via* Appia, *Nimirum contentio est longe acerrima de re vilissima, & hæc, quam dixi, asperitas, ut in amicitiâ inferioribus præsertim parum convenit, ita in superioribus & patronis planè inhumana & intolerabilis est, qui tenuiores amicos in leviculis vitijs inhumaniter & acerrimè reprehendunt, cum ipsi alijs gravioribus sceleribus longè sint vitiosiores. Dives enim amicus & patronus si natura [illegible] mavime amico inferiore pejor, &* decem vicijs instructior *& vitiosior sit amico inferiore; tamen inferiorem amicum ob paucula quædam vitia*, quem *forte* damnosa Venus *& scortatio ad mendicitatem adigit*, quem præceps aleæ *jactus* nudat *& pauperat*, quem gloriæ *amor & ostentatio cogit*, supra vires *& facultates suas se* vestitu *sumptuosiore* exornare, & unguento *largiore imbuere*, quem *avaritia, & inquies atq;* importuna argenti sitis & fames *constrictum* tenet, qui paupertatem *tanquam rem* pudendam *horret* & fugit: *talem, inquam, amicum uno atq; altero vitio laborantem* dives amicus *patronus, quamvis longè nequior* & *pejor* odit, horret, & *aversatur*, aut *saltem* si *ipsum* non odit, *ipsum castigat*, regit *& emendare cupit, quamvis pejor sit*, ac veluti *quædam* pia mater *requirit, ut filius suus* plus

quam

quam se sapiat, *suamq; matrem & patrem virtute & prudentia antecellat, sic ille quoq; inferiorem amicum suum vult plus quàm se sapere, vult illum* virtutibus priorem esse, *temperantiorem, modestiorem, & magis frugi, cum ille ipse sit dissolutißimus & nequißimus;* vult *talem amicum esse, qualis ipse non potest esse, quæq; ipse amico non tribuit, hæc ab illo desiderat, dumq; amicum inferiorem objurgat se ipsum stolidum & vanum confitetur,* & ait prope vera, *certè à veritate non multùm discrepantia, cum inquit* noli mecum contendere *& litigare, quod ego à te requiram, quod ipse tibi non præstem. Dives enim ego sum.* Opes *autem & divitiæ illud peculiare habent, ut* stultitiam patiantur. *Quæ sanè stultitia in me divite tolerari potest, in te paupere non potest.* Tibi *enim* parvula res est, *quare necesse est ut sapias. Pauper enim nisi sapiat, quis ipsum magnopere curabit? Nam velut dives stultitiam suam opibus compensat, ita pauper inopiam suam sapientiâ oportet ut compenset, &* arctam *vilemq; tenuiorem* togam, *quam vos clientes induitis,* decet *aliquis cliens,* comes, sanus, *& prudens. A cliente enim qui patrono suo sectatur potißimum requiritur ut sanus sit, quare* mecum certare desine, *sed quod dixi verum mihi esse concede. Stultitia in te excusari non potest, in me potest. Quod enim stultitia divitibus ignoscenda sit, & opes homines stultos stultiores reddant, multis exemplis demonstrari potest. Volumnius* Eutrapelus *vir ille prudentißimus,* cuicunq; volebat nocere, *quemcunq; in extremas calamitates volebat conijcere, illi* dabat *divitias & nova ac* preciosa vestimenta, *& ita suâ liberalitate magnopere illis nocebat.* Ita enim *apud se ratiocinabatur: ille* jam *hostis meus, opinione suâ bene nummatus, bene dives &* beatus *factus, unà cum habitu animum permutabit,* cum pulcris tunicis *alijsq; vestimentis* nova *vitæ* consilia assumet; *novum vitæ genus ingredietur, nec in priore vitæ condicione sibi commorandum arbitrabitur, quod paucißimis solet rectè cedere, novas etjam* spes *sibi somniabit, existimabit se perpetuo beatum fore, officium suum negliget,* in *mediam* lucem *more inertis ac otiosi* dormiet, honestum *suum* officium scorto postponet, *seq; divitiarum fiduciâ à virtute ad luxuriam convertet,* alienos nummos *in fenus sumptos,* pascet, *& grandi fenore incrassabit quasi, & multiplicabit, & alienam pecuniam pariet,* ad imum *cum omnia abligurivit, & deniq; cum omnia turpiter decoxit,* Thrax erit, *& ad illam paupertatem redigetur, ut vilißimus gladiator futurus sit, seq; gladiatoria turpißime ad extremum cogatur sustentare, aut vilißimi* olitoris, *olerum*

venditoris

venditoris caballum pro certâ mercede aget & ducet, & hortulani abjectissimus agaso erit. Atq; ita divites stultitiam suam excusant, & amicis tenuioribus nimis sæpè austeri & morosi sunt. Sed missis his ad officia tenuiorum revertemur. Cum verò hoc tempore scelerata quorundam clientum consuetudine introductum sit ut malis artibus ad opes contendant, & secreta atq; facinora patronorum suorum perscrutentur, postea quæcunq; velint ab illis poscant, minitantes si repulsam patiantur sese secreta illa alijs velle revelare. Quoniam vero hoc omni honestâ amicitiâ indignum est, tu, ô Lolli, non ullius amici patroni arcanum secretum ex sceleratâ curiositate perscrutaberis: aut si arcanum hujusmodi tibi tuæq; fidei sub silentij fiduciâ commissum aut concreditum sit, illud teges, & nullâ ratione alijs revelabis, quocunq; etjam modo ad illa revelanda inviteris: sive vino & ebrietate, quæ vel duris & tetricis ingenijs lene tormentum adhibere potest, sive etjam irâ & indignatione irritatus ad secreta revelanda torquearis. Incivile etjam admodum est in conversatione cum amicis superioribus alios superiores contemnere, & ijs quid agere, quid omittere debeant præscribere. Quare in tali amicitiâ neq; tua studia laudabis, neq; aliena reprehendes. Vtrumq; inurbanum est, & agreste. Officiosum enim & obsequiosum atque promptum illi potentiori te exhibere debes, tuaq; studia ad illius studia familiariter debes applicare, cum tu illius operâ, non ille tuâ indigeat. Neq; cum ille animi gratia venari, & alia corporis exercitia tractare volet, tu illius studijs reluctari, & Poëmata debes pangere. Nam ob diversas hujusmodi voluntates, diversa studia multæ sæpè amicitiæ diremtæ, atq; divulsæ sunt. Sic Jovis & Antiopæ filiorum, duorum geminorum fratrum Zethi, & Amphionis gratia, & amicitia dissiluit, & fraternus amor, favor, & concordia distracta fuit, cum Zethus tanquam pastor, rusticus & inurbanus laboribus & ærumnis rusticanis adsuetus delectaretur; Amphion verò Philosophus, Musicus, & orator esset longè præstantissimus: Donec lyra, quâ Amphion præstantissimus Musicus canebat, quæ fratri Zetho agresti, & à Musicâ abhorrenti duro & severo suspecta, invisa, & odiosa fuit, conticuit, & sonare desijt, & donec Amphion cum fratre in gratiam redire cupiens, à Musicâ abstinuit, seq; fraternis moribus duris & agrestibus familiariùs aliquantò applicavit. Ipse enim Amphion quamvis fratri genere æqualis, & sapientiâ etjam præstantior, tamen agrestibus, duris, & morosis fratris sui moribus cessisse putatur: Quare tu etjam potentis amici,

M & pa-

& patroni tui, non inhumanis sed lenibus & placidis imperijs cliens cum sis concede, & quoties venatum vult prodire, & equos, mulos, & alia jumenta præstantißimis plagis, & retibus, qualibus Meleager in Aetolia olim usus, apris capiendis aptis onerata, & canes venaticos in agrum educit: tum surge, & patronum tuum sequere, nec ob id indignare, aut frontem in rugas contrahe, sed tædium, senium, molestiam, & morositatem quasi senilem inhumanæ tetricæ duræq; Camænæ, vel Musæ depone (cum nimis importunum sit tum carmina componere, cum potentiori amico debes gratificari) nimirum ut pulmentaria, è pulpis & lumbis leporinis confecta jucundißimis venationis laboribus emta & comparata, una cum patrono tuo jucundißimè cænes. Quod profecto venationis exercitium viris Romanis usitatum & solemne est, & tanquam honestum opus laudem promeretur, & non solū utile est famæ, sed vitæ etjam humanæ, & membris & valetudini corporis. Et quid in tu, Lolli, hujusmodi exercitia vel frequentißimè tractes, præsertim cum ad talia opera à naturâ quasi factus & efformatus sis, cum toto corpore valeas, & corporis velocitate aut cursu vel canem superare, & indomitis corporis viribus vel aprum posśis vincere? Cum his adde bellica & virilia, quod scilicet inter tot cives Romanos nemo est, qui arma campestria vel etjam verè militaria vel speciosius, vel fortius tractare posśit. Nimirum tu ipse scis & confiteri cogeris quo clamore, quo consensu, qua approbatione & adplausu totius circumstantis multitudinis & coronæ civium Romanorum spectantium prælia campestria, & certamina in campo Martio ludicra sustineas, & semper victoriam obtineas. Deniq; cum pæne puer adhuc esses, vel saltem admodum adolescens sævam militiam in Hispania, & bella illa Cantabrica pertulisti, idq; sub Divo Augusto duce, qui te milite Cantabros bellicosißimos olim subegit, & qui nunc armis Persas subigit, & è templis Parthorum signa & vexilla militaria, quæ olim M. Crasśi, & Antonij militibus ad internecionem trucidatis erepta sunt, & ad postes templorum suspensa, rursus aufert, & Parthis subjugatis refigit, & si quid adhuc ab imperio Romano abest, quod nondum domitum & subjugatum est, illud Italiæ, & Romano imperio armis adjudicat, arrogat, & attribuit. Cum verò in his rebus bellicis magnam gloriam & laudem tuo merito adeptus sis, summiq; imperatoris amorem & benivolentiam promerueris, grata mente & recordatione bella sub Augusto gesta sæpe recolis quamvis jam privatam vitam colas. Nam ne à bellicis & milita-

ribus

ribus rebus hac tua vita privata planè te retrahas, *& abducas*, & ab illis *omnino* absis (*qua quidem in re esses* inexcusabilis, *nullamq; excusationem promereris, si egregia studia in quibus cum laude excelluisti, tam subitò, tam supine negligeres*) *interdum in paterno tuo rure bellorum simulacra exerces, & ludicra certamina duorum exercituum è pueris collectorum admittis, atq; ita nugaris tibiq; bella quæ gessisti puerili & nugaci certamine rursus in memoriam revocas* (*Ne vero fraudi mihi sit, quod te nugari dixerim.* Quamvis *enim ludicra & nugacia puerorum prælia instruas*, nihil *tamen* nugaciter *pueriliter*, *ineptè aut temerè* agis, *sed cum primis illud* curas, *ne aliquid* extra numerum *& legem quasi saltationis imprudenter inconsideratè, & parum decorè* fecisse *videaris*). *Nimirum* exercitus *tuus è pueris* in agro paterno *collectus* lintres, *aut parvas naviculas in duas classes* partitur, *quarum una similitudinem classis Antonianæ, altera Cæsarianæ referat.* *Atq; ita* pugna Actiaca *inter M. Antonium & Augustum cui interfuisti, quâ Antonius cum Cleopatra Aegypti regina ad Actium* Epiri *promontorium profligatus fuit, ruri tuo* te duce *quasi & summo imperatore Augusti personam referente*, hostili *concursu &* more per pueros *in agro tuo collectos* refertur *& repræsentatur.* Frater *tuus ibi* est adversarius *hostis, &* M. *Antonij personam repræsentans hostilis exercitus copias ducit;* Lacus *autem in fundo tuo similitudinem habet maris* Adriatici, *in quo vera pugna inter Augustum & Antonium fuit commissa.* Donec *post longam umbratilem pugnam unus puerorum exercitus Antonij partes referens vincatur, &* donec alterutrum *è vobis duobus*, *te Augusti partes referentem* victoria fronde *aliqua laureâ, quæ triumphantibus dari solet*, coronet, *inq; triumphum quasi abducit* *Certè potentior ille amicus tuus D. Augustus, fautor, & patronus tuus ubi* crediderit *& intellexerit* te suis studijs, *& rebus militaribus, quibus ille delectatur* consentire, *obsequi & delectari*, *& hoc nomine umbratili puerorum pugnâ res maximas ejus bello gestas tibi in memoriam revocare: profecto omni favore & benevolentia te complectetur, &* pollice *utroq; utriusq; manus in medium digitum presso, inq; indicem cum sonitu relapso,* (*quod signum apud nos gaudij &* favoris) *&* utrâq; *manu sublatâ, crebroq; motâ* ludum tuum laudabit. *Verum continuato sermone* ut *porro tenus* deinceps *& consequenter te* admoneam, *Lolli*, si *qua modo in re, quæ tua singularis prudentiæ est*, tu monitoris indiges, *cum per te sine mea admonitione satis sapias: in amicitia cum superiori etiam* atq; *etiam* sæpe vide, *aspice*,

consi-

& considera, quid *loquare, &* de quo *loquare,* & *cum quo loquare, & quid* cuiq; *de* altero dicas, *ne tibi pericula atq; labores concites. Verba enim temerè & imprudenter prolata per jugulum redire solent. Porro hominem polypragmona, aut curiosum* percunctatorem *etjam atq; etjam* fugito. *Qui autem commissa tacere non potest, ille omnibus bonis viris evitandus est.* Nam *qui curiosus est,* idem *etjam* est garrulus. Neque *enim curiosi hominis* aures *rebus novis semper patulæ quæ secreta illis* commissa *sunt* fideliter retinent, *aut tegunt, sed temerè propalant & effutiunt. Quidquid a. hujusmodi garrulo semel dictum est, non potest indictum fieri, sed manet dictum,* & *quod* verbum semel emissum *est illud nescit reverti, sed tanquam* irrevocabile volat, *& nunquam revocatur. Porro omnem occasionem, qua patronum tuum possis offendere, sedulo effuge & evita: quare etjam atq; etjam vides, ne in magnificis ædibus patroni tui,* intra marmoreum limen venerandi *tui potentioris* amici ulla *pulcra* ancilla, *ullus pusio* vel *formosus* puer jecur tuum *amore* exulceret, *aut libidinis flammâ perurat,* ne *si fortassis* dominus, *eandem ancillam eundemve puerum ipse amet, Zelotypia correptus te odisse incipiat, & ita amicitiam dissolvat, aut saltem te parvo quodam munere,* pulcri pueri, vel pulcræ puellæ *tibi concessæ,* beet *& gratificetur,* parvo *inquam* munere, *quo contentus esse cogereris, ut quod ulterius à patrono tuo exspectes nihil habeas: quippe qui contemnendum illud munus magni beneficij loco reputabit:* aut *saltem si* incommodus *illiberalis & parum munificus sit, dum tibi sese commodum & gratiosum exhibere non vult, teq; repulsam pati cogat, te contristet,* angat *& excruciet, dum non vult dare id, quod poscis. Quod restat* etjam atq; etjam *accuratè & diligenter* adspice, *quem &* qualem *patrono tuo virum* commendes: ne *cum ille quem* tantopere *commendasti peccaverit, seq; aliter gesserit, quam tu de illo patrono tuo sis pollicitus, tu ob id coram patrono tuo erubescas, atq; ita* aliena peccata tibi pudorem incutiant. Nam quondam *in amicitia* fallimur *dum viros bonos existimamus, alijsq; commendamus, qui mali sunt, & dum interdum in amicitiam potentioris amici commendando* tradimus *amicitiâ patroni* indignum, *quem quantivis pretij arbitrati sumus.* Ergo *si forte acciderit ut is,* quem *tanquam virum bonum commendasti peccet, ita ut illum* sua culpa *suumq;* peccatum premat, *inq; periculum adducat, tu tuo patricinio ipsum non debes defendere, sed cum* deceptus *sis ab illo, quem virum bonum ratus es,* omitte *ipsum*

tueri

tueri & *defendere, utpote omnibus* pæne notum, *quod peccato admisso malus sit, aliorumq; amicitiâ indignus. Sin vero contra videas ipsum falsis criminibus circumventum, ita ut homines malevoli & invidi ipsi ficta* crimina intentent; *ipsum* qui tuo præsidio & *tuâ tutelâ* confidit, serves ac tuteris, *ejusq; famam & existimationem defende.* Qui *amicus cum ab improbis hominibus premitur, (qualis fuit* Theon l*bertinus, qui calumnijs ne á patrono quidem suo abstinuit)* & *qui* cum dente *Theonino petulante & maledico obscurè* circum roditur, & *dissimulanter carpitur;* ecquid sentis & *intelligis illum metum, illud periculum commune esse, nonne animadvertis eadem* pericula paulo post ad te esse ventura? Nam *quemadmodum* cum *vicina domus vel* proximus paries *incendio absumitur* & ardet :*tuæ etjam domui periculum imminet*, & *quemadmodum* incendia, *si initio* neglecta *sint* solent vires *adsumere* & *ad proximorum ædes transire*, & *omnia depopulari. Sic etjam cum amicus tuus calumnijs opprimitur*, tua *etjam* res *fama & existimatio periclitatur, & calumniæ amico tuo proximo illatæ ulterius grassantur, & te cum reliquis omnibus viris bonis & amicis petūt & invadunt.* Nam *livor, invidia calumnia & obtrectatio plerumq; illos opprimit, qui potentiores amicitias colunt: quæ profecto amicitiæ ut vel maximè primâ fronte splendidæ & magnificæ videantur: plus tamen aloes, quam mellis habent. Ob id* potentis amici cultura *observantia & amicitia hominibus* inexpertis, *qui nondum periculum fecerunt,* dulcis & *jucunda apparet. Quicunq; autem eandem* expertus *est cum infinitis ærumnis & periculis conjunctā, ille eandem* metuit, & *non magnopere desiderat. Quicunq; verò in amicitiam magni viri receptus est, ita ut pedem retroferre, & regredi nequeat, in eâdem ita sese gerat, ne suâ culpâ in reprehensionem incurrat, aut è familiaritate magni amici excludatur. Nam velut* navis, *quæ jam* in alto *pelago littore relicto versatur, non retroire & relictum portum repetere potest, sine damno aut dedecore:* sic tu *cum in altâ & splendidâ amicitiâ cum potentioribus versaris,* age & *gnaviter stude:* ne *amor favorq; patroni tui, & amicitia potentioris tanquam ventus &* aura *mobilis & incerta* te retrorsum *ad relictum portum* referat, *teq; ad priorem vitam tenuem & obscuram non sine dedecore reijciat. Hoc autem potissimum fiet obsequendo, ut nimirum te tuosq; mores ad mores patroni tui familiariter applices & accommodes. Nam potentiores amici qui sunt* tristes & *tetrici* oderunt hilarem, *qui sunt hilares* & *jocosi oderunt* tristem, *qui sunt ve-*

geti & celeres illi oderunt sedatum & ignavum, qui sunt remissi desides & inertes illi oderunt agilem & gnavum. Porro quicunq; bibuli potores sunt optimi Falerni, idq; etjam de media nocte oderunt aliquem sobrium & siccum, sibi à patronis porrecta vini pocula negantem & recusantem. Quare officio atq; obsequio ipsos tibi devincias, siq; te frontem exporrigere & liberaliter genio indulgere secum jubeant ipsis gratificare. Quamvis enim jures te ex crapula vehementer doliturum, teq; vapores nocturno tempore in caput è stomacho ascendentes, & capitis dolorem concitantes formidare, tamen è vultu tristitiam aufer, nubes è supercilio deme, & frontem tuam cum patrono exporrige. Plerumq; etjam fieri solet, ut quicunq; modestus est, multum loquitur, hominis obscuri, suamq; sententiam subdolè occultantis quicunq; autem taciturnus est, hominis morosi acerbi et austeri speciem occupet, & præ se ferat. Quocirco hoc etjam operam dabis ne hujusmodi esse apud patronum tuum videaris. Deniq; ut ad pauca redeam, inter cuncta in omnibus partibus & consilijs vitæ humanæ viros doctos & philosophos, qui de vitâ humanâ secundum virtutem rectè administranda præceperunt, leges & percunctabere non solum quomodo in amicitiâ cum potentioribus te gerere debeas, verum etiam qua ratione ævum vitæ humanæ leniter placidè & tranquillè queas traducere, ne nimirum avaritia & inexplebilis opum cupido inter maximas opes semper inops, ne pavor vel metus paupertatis (ne fortè opes amittas) ne spes externorum bonorum mediocriter & ucunque utilium, & quæ perinde sunt ut animus qui eas possidet, te semper agitet, semper vexet & sollicitum habeat. Deinde illud à doctis et philosophis percunctaberis, anne doctrina, anne verò natura virtutem homini comparet, quidnam in vita mortalium curas tollat & minuat, quidnam sit, quod te tibi amicum & æquum reddat, quidnam sit, quod hominis vitam & animum verè delectet, & purè atq; sincerè tranquillum reddat: faciatné illud honos, magistratus, & officia politica, an dulce lucellum nummi & divitiæ, an vero privata vita, secretum illud vitæ humanæ genus à strepitu populari, & aulis principum remotum, & semita vitæ humanæ obscuræ, incognitæ & latentis, aliosque fallentis illorum hominum, quorum vita adeò obscura, adeò privata fuit, ut neq; de illorum vita, neq; de morte hominibus multis constiterit. Sic prorsus ego ipse vivo, ut te jam ut vivas exhortor. Quoties enim securè in agro meo Sabino vivo, & quoties

ame-

amœnißimus fons Bandusia, *& purus* gelidusq́ *ejusdem* rivus Digentia, quem *rustici viventes* in pago Mandelâ frigore *contracto &* rugoso bibunt, me *quoq; recreat &* reficit: quid, amice *Lolli, tunc me Deos* precari credis, quid censes *me à Dijs petere? nimirum illud, ad quod te exhortor doctrinam, virtutem, vitæ tranquillitatem: nimirum ut illud* quod mihi nunc est *Deorum clementiâ etjam in posterum mihi sit, & relinquatur*: etjam minus, *quàm jam est, mihi sit, & de meis bonis aliquid auferatur; tamen contentus ero; &* ut mihi vivam, *mihiq; meo, non alterius arbitrio vivere liceat*, si quid *modo* ævi superest, quod Di *immortales mihi* esse volunt, *mihiq; vivendum restat, cum de futurâ vitâ nemo sibi aliquid polliceri poßit: ut* bona *mihi* librorum copia, *quibus sapientiæ studijs invigilare poßim, et collectæ* provisaq́ frugis, *unde vitam sustentare poßim non in longam vitam, sed* in *unum saltem* annum *mihi suppetat: potißimum ut animus mihi sit rebus præsentibus acquiescens*, ne *tanquam* pendulus *& incertus* horæ *futuræ* spe dubiæ *& incertæ* fluitem *ac pendeam, qui futura non speret, sed præsentibus utatur. Sed quid ego illis de rebus Deos sollicito, quæ ut habeam in meo arbitratu situm est?* Nam satis est *Deorum optimum & maximum* Iovem, qui *omnia* donat, & *qui omnia cum vult* aufert, orare, *ut mihi* vitam *&* opes *clementer donet. Ceterum ut* æquum animum *habeam, & præsentibus rebus contentus vivam, nec incerto animo de rebus futuris sperando fluctuem, illud verò cum in meo arbitrio sit*, mihi ipsi *comparabo*.

EPISTOLA XIX.

S*ÆPIUS ridere vel indignari non poßum*, C. Cilni Maecenas, *cum vanitatem plerorumq; Poetarum nostri sæculi intueor, qui in imitandis optimis quibusq; & vetustißimis Poetis vitia potius eorum, quam virtutes sibi sequenda proposuerunt. Quia enim inter priscos Poetas non defuerunt, qui vel ebriosi fuerunt, vel vinum saltem laudarunt: ebrietatem in Poesi commendandam arbitrantur, existimantes nullum sese plenum & operosum carmen posse condere, sine furore ebrietatis.* Si quid *enim* credis *veteri illi* Cratino priscæ *comœdiæ auctori, qui adeo temulentus fuit, ut pelles, quibus indormiebat, plerumq; perminxerit:* nulla *carmina possunt* diu posteris placere, *nulla* poëmata possunt *diu* vivere, *durare & annosa fieri*, quæ *ab* aquæ potoribus *siccis & sobrijs Poetis* conscribuntur.

buntur. *Postquam autem ipse* Liber *Bacchus* Poëtas malè sanos, *& ebrietate furentes*, Satyris & Faunis *ebriosis* adscripsit, *& rusticorum numinum numero, quæ vino impensè delectantur, addidit & inseruit: adeo strenuè à Musarum cultoribus perpotatum fuit, ut* dulces Camænæ *illorum* matutino tempore vina ferè *redoluerint.* *Ipsum etiam principem Poëtarum Homerum ad suas ebrietatis partes pertrahere non erubescunt.* Homerus *enim ille, quod semel atq; iterum in operibus suis vinum laudavit*, vini laudibus vinosus *fuisse* arguitur. *Porro* Ennius *qui tanquam* pater *Latini carminis vel Musæ est, qui bella versibus egregia scripsit, ille* nunquam *ad scribendas res Romanorum gestas præclaras accessit, nunquam* ad arma *Romanorum carmine* dicenda prosiluit, nisi *bene* potus, *& vino concalefactus.* *Nimirum qui alicubi in suis versibus tanquam Poetarum prætor tale edictum promulgavit:* forum *cum omnibus causis forensibus* & puteal Libonis *in foro Romano ubi prætor jus dicit*, siccis *& sobrijs hominibus manè frequentandum* mandabo *& committam, & tristibus morosis, &* severis cantare *non permittam, sed omnem facultatem condendi carminis* adimam: *vino calentibus, ebrijs, & jocosis eandem indulgebo.* Hoc *postquam* Ennius *tanquam prætor verbis prætorijs quasi præcepit, &* edixit: *Nostrates* Poëtæ non cessaverunt *toto* nocturno *tempore cum æqualibus certatim vinum potare, &* mero *concertare, &* diurno *tempore è nocturnâ crapulâ vina olére, fetêre, &* putêre. *At verò quanta horum Poëtarum vanitas, qui imitandis vitijs optimorum Poetarum similis esse fore arbitrantur?* Quid *enim* si quis *externo incessu, severa fronte, tetrico ac* torvo vultu, & nudo pede, *gravis*, ferus, *& severus incederet*, & exiguæ *angustaq;* togæ textura *illud exemplar virtutis & constantiæ sanctissimum virum* Catonem *Vticensem* simulet, *& imitetur: Illene ob id* virtutem & mores *vitamq; sanctissimam* Catonis repræsentet *& imitetur? Certè veluti hic Catoni vita & moribus non est similis, dum externum ejus vultum & habitum imitatur, ita neq; Poetæ nostri Ennio, Homero, Cratino alijsq; similes sunt, dum illorum ebrietatis vitium solummodo imitari possunt. Quid? quod vana illa imitatio non nullis damno & exitio fuit: Nam* lingua *Hiarbitæ Mauri, quæ* æmula *fuit* Timagenis *rhetoris Alexandrini*, dum *Temagenem inter pocula post convivia declamantem imitari & Timaginis similis* urbanus, *facundus* & disertus haberi *cupit & contendit*, Hyarbitam rupit, *& exitio dedit, dum nimium clamando & con-*

tendendo

tendendo Timagenis eloquentiam æmulatur? *Certè fit ut citius vitia aliorum, quam virtutes æmulemur: Et plerumq; magni viri* exemplar, *quod omnibus debet esse imitabile, in quo eximiæ virtutes cum quibusdam vitijs conjunctæ sint,* vitijs *plærumq;* decipit, *inq; illo se citius vitia, quàm virtutes ad imitationem offerunt. Quid autem stolida hæc multorum imitatio? Nam* si *ego moribus exemplum imitabile me exhiberem, & interim* casu, *morbo vel studio* pallerem: *mei imitatores stulti etjam vitium mei corporis pallorem imitarentur, &* cuminum biberent, *quod homines ex*sanguos, *& pallidos reddit?* O *stolidi* imitatores, *aliorum* servum pecus, *& vile mancipium!* Vt sæpe vestri tumultus, *quam* sæpe *vestri exanimes timores, quoties vestræ superstitiosæ religiones & conturbationes (dum ab aliorum exemplis ne in vitijs quidem vultis discedere)* mihi bilem & jocum moverunt; *dum ob stultitiam vestram mox indignor, mox rideo.* Ergo *contra Horatius, neminem Latinorum imitatus sum, nullum Græcorum: Sed quidquid sum & habeo, uni mibi & soli arrogo. Quippe ego* princeps *Lyrici Latini carminis non alios imitatus sum, sed* vestigia *mea* libera, *& nullius servitio devota* per *locum* vacuum *à nemine ante occupatum* polui. *Neminem præcedentem secutus sum*, & aliena *vestigia* meo pede *insequendo* non presi. *Porro* qui sibi, *suo ingenio, & virtuti* confidit, *ille tanquam* dux *apum*, examen regat, *& aliorum dux sit.* Ego *verò omnium* primus Iambos *Archilochi* è Paro *Insulâ orti* Latio ostendi, *interq; Latinos Lyrica conscripsi:* Et Archilochi animos *quidem, & vim, spiritumq;* secutus *sum, sed* non *materiam, &* res *hostiles, quales ille maledicentißimè tractavit,* & verba *sævißima quibus* Lycamben *socerum cum filiâ ad suspendium* egit. Ac ne *mihi* idcirco *minorem debito laudem tribuas, vel laureæ coronæ decurtatis &* brevioribus folijs exornes, quod modos, & carminis artificium *Archilochi* mutare *& in alios modos convertere nolui; & quod ob id, saltem in carminum genere Archilochum imitatus sim: Scito me Iambos Archilochi cum Alcaicis & Sapphicis certis carminum generibus excogitatis decenter miscuisse.* Hinc *in carminum meorum libris* Archilochi pedes *&* Musam *mordacißimam* Sappho mascula *singulari decore & majestate incedens, &* Alcæus *ille Lyricus elegantißimus* temperat *& moderatur;* Sed *Alcæus tamen &* rebus, & ordine *apud me* dispar *est; dũ varia in Lyricis tracto, alioq; pedũ ordine utor, & variis carminum generibus.* Nec *Alcæus meus, ut Archilochus*

ille socerum *Lycamben* quærit, *versuum maledicentiâ excarnificandum*, quem atris *& infaustis* versibus oblinit *& notat*, nec *carmine famoso* sponsæ *alicui* laqueum *collo* adnectit, *ut ille Neobulen sibi desponsatam uxorem, & dein à patre negatam* carmine *ad laqueum compulit.* Hunc *Archilochum* non alio *Latini Poëtæ* ore *unquam ante me* dictum, ego *Horatius* Latinus *Romanæ Lyræ* fidicen *divulgavi, & Latinis versibus expreßi.* Iuvat *enim me Horatium dum* immemorata, *& nunquam ante me ab alio dicta profero, carmina mea* ingenuorum *hominum* oculis legi, *&* manibus *teri* & teneri: *Vulgus autem nihil moror. Si enim* scire velis cur *versuum meorum malevolus &* ingratus lector (*dum* promeritam *laudem mihi non retribuit*) opuscula mea *conscientia sua & veritate convictus* domi *quidem privatim* laudet & amet, *sed foris &* extra limen *in publico tanquam* iniquus (*dum sine præmio laudandâ laudare non vult*) premat *& vituperet, seq́; illis delectari dißimulet*, Non *dicā*: ego cænarum impensis, *& sumtuosis convivijs*, ventosæ *& inconstantis* plebis *laudem mihi* venor, *aut favorem &* suffragia tritæ vestis munere *mihi aliorum Poëtarum more comparo.* Ego *Horatius etjam* non *sum* nobilium scriptorum *& Poëtarum* auditor, *& eorundem* ultor, *ut alios audiam, eosq́; vicißim ulciscar dum mea illis recitarem; nec dignos etjam judico* Grammaticos, *ut, quod qui magistratum appetunt in comitijs tribus illorum* ambire, *& illos qui in quaq́; tribu autoritate valent prehensare solent: ita etjam Grammaticorum* tribus & *eorundem* pulpita *in scholis ambiam, & Grammaticos sollicitem, ut in scholis carmina mea laudent, puerisq́; dictent & prælegant.* Hinc illæ *nimirum* lacrymæ: *hinc illud, quod nemo mea scripta, quæ privatim probat, publicè laudet. Quod si quis mihi dicat, id eo fieri quod publicè mea carmina non recitem, cumq́; nullis communicem, & ego tunc respondi:* O admonitor, pudet *me* recitare scripta *mea*, *quæ* indigna *sunt* theatris spissis & *hominum multitudine plenis, pudet* me nugis *meis velle* pondus addere, *easq́; tanquam res quantivis pretij venditare:* si *illud, inquam*, dixi, *tunc aliquis mihi respondit, &* ait, *ô* Horati *tu nos* irrides, *cum ais scripta tua indigna theatris esse: imò verò tu nos scriptis tuis audiendis indignos judicas*, confidis enim te *unum scilicet &* solum Poëtica mella *stillare &* manare, *& de te uno versus quovis nectare dulciores profluere: nempe* tibi *uni satis* pulcher es, *de nobis alijs nihil laboras. Nimirum* ad hæc *verba reprehensoris mei acerrimi superbiam mihi exprobrantia*, ego

ego formido naribus uti, *ego meo more festivè & urbanè metuo respondere, hunc talem ego irridere non audeo, & quamcunq;, ut ab illo disjungar quæro causam, & magna voce dico &* clamo: iste locus *theatri mihi* displicet, *ego neminem vestrum contemno. Et sic ut gladiatores* diludia *vel intermißionem digladiandi petunt, ita ego etjam hujus controversiæ cum adversario intermißionem, & respondendi dilationem* quæro, ne *scilicet mecum* luctantis ungue secer *ac dilacerer. Incredibilis enim hujusmodi æmulorum est importunitas.* Nam *velut in pugilum congreßibus* ludus *contentionem* gignit, *contentio iram, ira cædem, ita etjam Poëtarum contentio gignit* trepidum certamen, & iram, *quæ in contentionis calore solet effervescere*; ira *verò generat* truces *& horribiles* inimicitias, & bellum funebre *atq; lethale, & Poëtarum lites sæpè de versibus ac syllabis non minori vehementia suscipiuntur, quàm si de bonorum, vita, ac famæ periculo ageretur. Vale.*

EPISTOLA XX.

QVantum *video* liber, *gestis tu in publicum prodire*, & videris *mihi ad* Vertumnum Ianumq;, *eorumq; templa & fora* spectare, *& ad publica loca oculos tuos torquere*, ut ibi prostes scilicet *& venum exponaris*, Sosiorum *fratrum bibliopolarum, qui libros venales expolire solent*, pumice mundus *& ornatus. Nimirum* claves, *quibus arcis includaris*, sigilla *quibus consignatus ad certos tantum mittaris, quæ libro* pudico, *verecundo, & in conspectum cum rubore prodeunti* grata *esse solent*, odisti. *Contra autem* gemis *& doles* paucis *te lectoribus* ostendi *& legi*, & communia, *conventusq; theatri publicos* laudas: *qui tamen* non ita nutritus, *non ita elaboratus es, ut omnium aspectum sustinere, inq; manus pervenire poßis. Tu verò* fuge *illum locum*, quo discedere, *& quem subire* gestis. *Nam cum semel* emissus *fueris*, reditus tibi non erit, *nec reverti poteris.* Vbi *vero semel publicatus fueris &* te quis læserit, *& reprehenderit, serò sapiens* dices: *Eheu*, quid ego miser egi, quid *mihi* volui, *cum non privatus vixi? Nam* cum *lector paulo ante tui cupidißimus tanquam* amator *scorti satietatem capit, jamq;* plenus, *& legendo satiatus* languet: *Ibi tu* scis *te contemni*, te in breve cogi, *complicari, & abijci. Certè si* Horatius *ut vates &* augur *futura prædicturus* non desipit, *& aberrat, (dum nimiâ*

irâ ob peccatum tuum impeditus vera fortè vaticinari nequit) tam diu Romæ carus eris, donec juvenilis ætas te deserit: quem seneem nemo curabit. Nam ubi ab ingenuis tui tædio adfectis contemtus, jã vulgi etjã manibus contrectatus & commaculatus sordescere, & negligi cęperis: Ibi verò aut abjectus in arcã aliquã concluderis, ibiq; taciturnus, mutusq; à nemine legeris, sed inertes tineas pasces, & à vermibus absumeris, aut exsul, quasi Vticam Africæ civitatem fugies, & alijs Epistolis involucrum præbebis, & ita devinctus, circumvolutus Ilerdã Hispaniæ civitatẽ transmittêris. Interea Horatius ille tuus monitor qui ne prodires fideliter te monuit, à te non exauditus te salsè ridebit, nec tecum dolebit, sed perinde aget, ut rusticus ille cum suo asino; quem asellũ ille bene ducenti sibi malè obtemperantẽ, irâ percitus, in rupes præcipitem protrusit, & morti dedit. Ita te quoq; abjiciet, nec amplius curabit. Quis enim librũ invitũ, conservare, suæq; saluti infensum perire volentẽ magnopere liberare laboret. Quia igitur tantopere publicari desideras hoc quoq; periculum manet te & exspectat, ut senes pædagogi ætate jã balbutientes te in extremis urbis vicis, occupent, & tractent, te, inquam, liber, qui pueros teneros litterarũ elemẽta pingere docebis, ubi præceptores versus ex te discriptos pueris tãquã scripturæ exemplar, imitandos proponent. Quidquid autem sit, te non detineo. Vbi a. prodieris hoc saltẽ mihi, gratificare, ut vitam meam alijs exponas. Vbi ergo meridies calore suo plures auditores tibi attribuerit, & Sol illo tempore tepidus & fervens homines in auditorio umbrã & refrigeriũ quærere cogens pluriũ auditorũ aures tibi admoverit, ut ita à multis audiaris: loquêris me ex obscurâ familiâ patre libertino natum, idq; in re tenui; Et tamẽ pennas meas majores, quàm nidus meus fuit extendisse & vitã fortunasq; meã ultra familiã, genusq; sustulisse, ita ut virtute & ingenio obscuritatẽ meã illustrarim, & merito tantũ gloriæ virtutibus meis addas, quantũ generi meo demas. Dices ergo me primis & principibus urbis Romæ belli & domi, in militiâ in pace placuisse, staturæ brevis, exigui corporis, ante tempus canum, apricis lucis in sole aptum & gaudentem, ad irascendum celerem, ita tamen ut facilè essem placabilis. Si quis etjam forte te meum ævum & ætatis annos percunctabitur, ille sciat me implevisse quater undenos Decembres, annos 44. & illo quidem anno, quo Lollius consul Lepidum collegam in consulatu habuit. Vale.

FINIS EPISTOLARVM LIBRI PRIMI.

HORATIVS
E. LVBINI


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm